Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/novummanualeordi0000sacc

Sac. CAESAR PECORARI

NOVUM MANUALE ORDINANDORUM

PRO

EXAMINIBUS SACRIS ORDINATIONIBUS

PRAEMITTENDIS

VOLUMEN ALTERUM

250.2
P36
7

THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 18,949

ROMAE
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
1929

IMPRIMATUR:

† Iosephus Palica, Archiep. Philippen., *Vices gerens*

Bibl. Stud
Univ
California

PRAEMITTENDA

In hoc altero Novi Manualis Ordinandorum *volumine, quod veluti complementum primi voluminis censeri debet, ea omnia colligere studui, quae scitu vel necessaria vel saltem perutilia Clericis esse possunt in exercitio sacri ministerii, praecipue in Sacramentorum administratione; quaeque, cum scientificam tractationem haud praeseferant, minus proprie in primo volumine locum invenissent.*

Ad commoditatem insuper Ordinandorum, in hoc volumine integre transcribere volui ex Parte prima Pontificalis Romani, *quae ibidem de Ordinibus conferendis habentur: ut cum meliori cognitione rituum et caeremoniarum, nec non cum maiori devotione, Sacrae Ordinationi adsistere possint.*

Volumen totum dividitur in tres Partes. In prima nonnullae historicae notitiae, nec non practicae indicationes, continentur circa libros,

quos Clerici prae manibus habere solent, nempe: Breviarium (et Diurnum), Missale, Rituale, [1] *ut facilius iisdem libris uti possint. - In secunda Parte congerere studui omnes preces, orationes, psalmos, hymnos, cantica, etc., quae Clerici memoria retinere debent, ut actus singulorum Ordinum proprios, et actus praecipuos sacerdotalis ministerii, recte ponere queant; quae vero ad haec scitu necessaria quidem sunt, sed memoria retinere haud oportet, indicare tantum censui: ut Clerici in suis locis ea facile reperire possint. - Pars tertia denique ea exhibet quae, ex Parte prima* Pontificalis Romani *excerpta, ad Ritum sacrae Ordinationis attinent.*

---

[1] *Nonnulla etiam addere opportunum censui, quae librum* Pontificale Romanum, *et* Caeremoniale Episcoporum *respiciunt.*

INDEX ANALYTICUS

VOLUMINIS SECUNDI

Pars prima. – De libris liturgicis, 1-11.

Caput I. – De Breviario Romano, 1-2.

Art. 1. – Notitiae, 1.
Art. 2. – Divisio libri, 2.
De Diurno, 3.

Caput II. – De Missali Romano, 4-7.

Art. 1. – Notitiae, 4.
Art. 2. – Divisio libri, 5.
Missae Votivae, 6.
Missae pro defunctis, 7.

Caput III. – De Rituali Romano, 8-9.

Art. 1. – Notitiae, 8.
Art. 2. – Divisio libri, 9.
Appendix prima. – De Caeremoniali Episcoporum, 10.
Appendix altera. – De Pontificali Romano, 11.

Pars secunda. – Preces, Psalmi, Hymni, memoriter retinendi, etc., 12-131.

Caput I. – Pro Clericis et Minoristis, 12-80.

Art. 1. – Pro Clericis, 12.
§ 1. – Preces propriae pro iis qui Tonsuram receperunt, 12.

§ 2. – Preces, Psalmi, Hymni, Litaniae, etc., 13-77.
A) Preces communiores, 14-31.
B) Psalmi, 32-57.
a) Psalmi ad Laudes Dominicae, 33-38.
b) Psalmi in Vesperis Dominicae, 39-44.
c) Psalmi qui ponuntur ultimo loco in Vesperis, 45-47.
d) Psalmi in Vesperis Festorum B. M. V., 48-50.
e) Psalmi in Completorio de Dominica, 51-55.
f) Alii Psalmi communiores, 56-57.
C) Hymni, 58-70.
D) Antiphonae in honorem B. M. V., 71-74.
E) Litaniae, 75-77.
Art. 2. – Pro Lectoribus, 78-79.
A) Formula pro benedictione panis, 78.
B) Formula pro benedictione novorum fructuum, 79.
Art. 3. – Pro Exorcistis, 80.

Caput II. – Pro Subdiaconis, 81-91.

Art. 1. – Preces propriae, 81.
Art. 2. – Preces pro recitatione Breviarii, 82-90.

I. – Ad Matutinum, 83-84.
A) Invitatorium, 83.
B) Ante Lectiones in Nocturnis, 84.

II. – Hymni ad Horas minores, 85-88.
A) Ad Primam, 85.
B) ad Tertiam, 86.
C) ad Sextam, 87.
D) ad Nonam, 88.

III. – Suffragia et Commemorationes, 89-90.

Appendix. – De Regulis pro redigendo Ordine Divini Officii, 91.

Caput III. – Pro Diaconis, 92-95.

Art. 1. – Preces propriae, 92.
Art. 2. – Ritus servandus in administratione Sacramenti Baptismatis et S. Communionis, 93-95.
§ 1. – Ritus in administratione Baptismi, 93.
Ordo Baptismi parvulorum, 93bis, p. 260.
§ 2. – Ritus in administratione S. Communionis, 94.
A) In ecclesia, 94.
B) Pro infirmis, 95.

Caput IV. – Pro Presbyteris, 96-131.

Art. 1. – Circa Missam, 96-107.
§ 1. – Ante Missam, 96-101.
§ 2. – In Missa, 102-105.
A) Ea quae utiliter memoria teneri debent, 102-104.
Ordo Missae, 103.
Canon Missae, 104.
B) Brevis synopsis Caeremoniarum Missae privatae, 105.
§ 3. – Post Missam, 106-107.
Art. 2. – Circa ritus et caeremonias pro Sacramentis: Confirmationis, Poenitentiae, Matrimonii, Extremae Unctionis, 108-110, 118.
§ 1. – De ritibus in ministrando Sacramento Confirmationis, 108.
§ 2. – De modo administrandi Sacram. Poenitentiae, 109.
§ 3. – Ordo administrandi Sacram. Extremae Unctionis, 110.

Appendix prima. – Circa modum iuvandi moribundos, 111-113.

a) Ritus Benedictionis Ap. in articulo mortis, 111.
b) Preces brevissimae, seu iaculatoriae pro morientibus, 112.
c) Oratio *Proficiscere*, 113.

Appendix secunda. – De exequiis, 114-117.
a) Exequiarum ordo, 114.
b) Ordo sepeliendi parvulos, 115.
§ 4. – De ritu servando in celebratione Matrimonii, 118.

Benedictio mulieris post partum, 119.

Art. 3. – Benedictiones communiores, 120-129.
§ 1. – Ordo ad faciendam aquam benedictam, 121.
§ 2. – Benedictio mensae, 122.
§ 3. – Benedictio domorum in Sabbato Sancto, 123.
§ 4. – Benedictio loci vel domus, 124.
§ 5. – Benedictio thalami, 125.
§ 6. – Benedictio imaginis, 126.
§ 7. – Benedictio ad omnia, 127.
§ 8. – Benedictio communis super personas, 128.
§ 9. – Dum S. Reliquia alicuius Sancti osculanda porrigitur, 129.

Appendix prima. – Instructio (pro Sacerdote) pro breviori formula in consecratione Altarium, 130.

Appendix secunda. – Formula (pro Sacerdote) consecrandi patenam et calicem, 131.

Additamentum. – 93bis: Ordo Baptismi Parvulorum, pag. 260.

Pars tertia. – Ritus pro Ordinibus conferendis (ex *Pontificali Romano*, parte I, tit. II), 132-140.

De clerico faciendo, 133.
De Minoribus Ordinibus, 134-137.

De Ordinatione Ostiariorum, 134.
De Ordinatione Lectorum, 135.
De Ordinatione Exorcistarum, 136.
De Ordinatione Acolythorum, 137.
De Sacris Ordinibus in genere, 138-140.
De Ordinatione Subdiaconi, 138.
De Ordinatione Diaconi, 139.
De Ordinatione Presbyteri, 140.

PARS PRIMA.

DE LIBRIS LITURGICIS NEMPE DE BREVIARIO ROMANO MISSALI ROMANO ET RITUALI ROMANO

CAPUT I.

De Breviario Romano.

Art. I. – NOTITIAE.

[1] *Breviarium*, ut suo loco diximus, *est liber continens « Horas canonicas »*.

Ab Ecclesiastica Auctoritate probari debet; et absque eiusdem Ecclesiasticae Auctoritatis permissione ipsum edere non licet. (Conf. vol. I, nn. 537-540; 568-570).

Circa *originem Breviarii* non una est sententia. Nonnulli opinantur Breviarium nihil aliud fuisse nisi brevis epitome psalmorum, lectionum, orationum, quas Monaci recitabant in choro, ad usum eorundem Monachorum iter peragentium: « Breviarium dictum est, quasi breve orarium, sive precum epitome ».

Alii dicunt Breviarium in usu fuisse in Palatio Pontificio, in quo Clericis, ob eorum multiplicia

negotia, brevior precum et psalmorum recitatio permittebatur.

Dictum fuit etiam « Opus Dei » – «Horae Canonicae » – « Collecta » – « Agenda » – « Cursus », etc.

Ab initio Breviarium continebat tantum: Orationem dominicam et Psalmos. Additae postea fuerunt Lectiones ex Libris S. Scripturae depromptae. – Aliae additiones, inter quas Acta Ss. Martyrum, introductae fuerunt sub Pontificibus: Damaso, Leone, Gelasio, Gregorio M., Hadriano I, Gregorio III et Gregorio VII. Progressu temporis etiam *Vitae aliorum Sanctorum* in Breviariis interiectae fuerunt; sed aliquando multis historicis erroribus refertae. – Haec fuit ratio praecipua, cur in Conciliis Tridentino et Coloniensi, et iussu Roman. Pontificum Gregorii IX, Nicolai III, Clementis VII, Pauli III, Pauli IV et Pii V, Breviarium emendatum et reformatum fuit.

Breviarium quod *nunc* est *adhibendum*, ab iis qui obligatione Horas Canonicas recitandi tenentur, est « Breviarium Romanum ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V Pont. Max. auctoritate editum, et a Clemente VIII, Urbano VIII et Leone XIII recognitum, atque Pii Pp. X auctoritate reformatum », cuius *typica editio* ex typis Polyglottis Vaticanis anno 1914 prodiit.

Art. II. – Divisio libri.

[2] *Rationem practicam Breviarium recitandi* Subdiaconus addiscere poterit sive legendo rubricas eiusdem Breviarii; sive, melius, Horas Canonicas recitando cum aliis Subdiaconis, Diaconis vel Sacerdotibus, qui ante ipsum S. Ordinationem receperunt.

Regulariter ea quae in Breviario continentur hoc, prout sequitur, ordine sunt disposita:

A) Quasi *primum Prooemium* referuntur Bullae Pii Papae V aliorumque Summorum Pontificum, quae circa Horas Canonicas editae fuerunt. In editione typica Vaticana praemittitur: Decretum S. C. Rituum diei 25 Martii anno 1914 « Cum Pontificia Commissio »; Bulla Pii Papae V « Quod a nobis », septimo idus Iulii a. D. 1568 data; et Bulla « Divino afflatu » Pii Papae X diei 1 Novembris a. D. 1911.

B) *Alterum Prooemium* tribus partibus constat, sub titulis: « De anno et eius partibus – Rubricae generales Breviarii – Additiones et variationes in Rubricis Breviarii ».

a) De anno et eius partibus.

In hac parte agitur de Kalendario Gregoriano, de cyclo decennali aurei numeri – de epactis et noviluniis cum suis tabellis et tabella litterarum

Dominicarum – de indictionibus et de festis mobilibus – Adnectitur « Tabula Paschalis antiqua reformata », et « Kalendarium ».

b) Rubricae generales Breviarii iuxta editionem typicam anni Iubilaei 1900, quae pars 37 articulis constituitur.

c) Additiones et Variationes in Rubricis Breviarii, ad normam Bullae « Divino afflatu » in novem articulos distributae, una cum duabus tabellis, et cum « Notanda » circa easdem tabellas.

C) *Breviarium proprie dictum quinque partibus* praecipue *constat*, quae ita denominantur:

a) *Ordinarium divini Officii* iuxta ritum romanum persolvendi, ea continens, quae in omnibus officiis sive ferialibus sive festivis occurrere solent.

b) *Psalterium Breviarii Romani* per omnes ac singulos hebdomadae dies dispositum: quae dispositio iuxta Bullam « Divino afflatu » ordinatur.

c) *Proprium de tempore*, in quo scilicet lectiones, versiculi, responsoria, orationes, etc. inveniuntur quae singulis anni liturgici partibus conveniunt: nempe tempore Adventus – in Nativitate Domini et octava, etc. – in Epiphania Domini et sequentibus Dominicis – in Septuagesima – Sexagesima – Quinquagesima – Quadragesima – in Hebdomada Maiore – in Paschate, Octava et seq. – in Ascensione Domini – in Pentecoste, Oc-

tava, et sequentibus Dominicis – in singulis hebdomadibus Augusti, Septembris, Octobris et Novembris.

Haec pars completur collectione lectionum Evangeliorum atque orationum dominicalium, quae occurrunt a Dominica III usque ad Dominicam XXIV post Pentecosten.

d) *Proprium Sanctorum*, in quo, iuxta Kalendarium liturgicum, ea continentur quae in genere, pro singulis festis Sanctorum per annum sunt propria seu non communia.

e) *Commune Sanctorum* denique continet quae in festis Sanctorum, in genere, non sunt propria sed communia, iuxta diversam eorundem Sanctorum classem. Unde habetur: Commune Apostolorum (sive extra tempus paschale sive tempore pascali) – Item Commune Evangelistarum – Commune unius martyris (extra tempus paschale et tempore paschali) – Item Commune plurimorum martyrum – Commune Confessorum Pontificum – Commune Doctorum – Commune Confessorum non Pontificum – Commune Abbatum – Commune Virginum – Non Virginum – Commune Dedicationis Ecclesiae una cum octava – Commune Festorum B. M. V. – Cui additur officium S. Mariae in Sabbato, et Officium parvum B. M. V. – Denique: Officium Defunctorum.

NB. – Pro Clero Almae Urbis eiusque districtus concessum fuit per Decretum S. C. RR. diei

22 Maii a. D. 1924, aliud Commune plurium Confessorum Pontificum – aliud plurium Confessorum non Pontificum et aliud plurium Virginum.

Quasi Appendices, post Officium Defunctorum, adduntur in Breviario: *Psalmi graduales*, *Septem Psalmi poenitentiales* cum suis Litaniis et orationibus.

Deinde habetur Ordo Commendationis animae – Formula ad impertiendam Indulgentiam plenariam in articulo mortis – Benedictio mensae, et Itinerarium.

In editione typica supra citata habentur Indices; et, post Indices, ad commoditatem Sacerdotum, « Preces ante et post Missam ».

Sicubi peculiare Proprium Officium pro determinatis locis adprobatum fuerit, hoc Proprium additur in fine Breviarii.

De Diurno.

[3] *Est* alter *parvus liber continens* non omnes Horas Canonicas; sed tantum *Horas diurnas* (unde, in genere, huius libri titulus enuntiatur: « Horae diurnae »); quae sunt: *Laudes*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Vesperae* et *Completorium*.

Quod attinet ad *dispositionem materiae*, hic liber nihil differt a Breviario; differentia in eo est, quod nempe in Diurno excluduntur ea omnia quae pro recitatione Matutini sunt necessaria.

Ad commoditatem vero Sacerdotum, post

« Itinerarium Clericorum » et Indices, nonnulla addita inveniuntur, plerumque ex Rituali Romano deprompta, quae in editione typica Vaticana hoc, qui sequitur, ordine disponuntur:

Preces ante et post Missam.

Supplementum ex Rituali Romano (Benedictiones communiter occurrentes: Rosariorum, scapularium, infirmorum, infantium, animalium, novorum fructuum, etc.).

Litaniae Ssmi Nominis Iesu, Ssmi Cordis Iesu, B. M. Virginis, S. Ioseph.

Ordo administrandi infirmis: *a*) S. Communionem; *b*) Extremam Unctionem.

Ordo ad faciendam aquam benedictam.

Pro gratiarum actione: « Te Deum laudamus ».

Formula brevis Extremae Unctionis.

Caput II.

De Missali Romano.

Art. I. – Notitiae.

[4] *Missale est liber quo utuntur Sacerdotes in celebratione Missae.*

Sicut omnes libri liturgici, ab Ecclesiastica Auctoritate probari debet, nec edi potest sine permissione eiusdem Ecclesiasticae Auctoritatis, ut iam suo loco dictum est.

Iuxta historiae scriptorum sententiam, Romanus Pontifex Zacharias primus hunc librum pro

Missae celebratione induxit, quem deinde Gregorius Magnus in meliorem formam redegit, vocavitque « Librum Sacramentorum ». S. Hieronymus loquitur de quodam libro pro Missae celebratione redacto ab Hilario Ep. Pictaviensi; et ab aliis scriptoribus scimus aliud Missale conscriptum fuisse a quodam Veronio Ep. Mamitan. et a Sacerdote Musco iussu Episcopi sui Massiliensis, nec non ab alio Sacerdote Salviano eiusdem dioecesis.

Initio, tres species Missalis habebantur, nempe: *a*) in certis Missalibus tantummodo « Collectae », « Praefationes » et « Canon Missae » continebantur; *b*) in aliis, praeter dicta, habebantur quoque ea quae a cantoribus dicebantur, nempe: « Introitus », « Gradualis », « Alleluia », « Versiculi », « Sanctus » et « Communio »; *c*) in Missali plenario denique habebantur quoque: « Lectiones », « Epistolae » et « Evangelia ».

Etiam Missale Romanum, tot annorum decursu, saepius iussu Romanorum Pontificum auctum atque emendatum fuit. Praecipui Missalis Romani reformatores fuerunt: S. Pius V in Bull. *Quo primum*, prid. id. Iulii 1570; Clemens Papa VIII in Bulla *Cum Sanctissimum Euch. Sacramentum*, diei 6 Iulii 1604; Urbanus VIII in Brevi Ap. *Si quid est*, diei 2 Sept. 1634; et, nostris temporibus, Pius Papa X in Bulla *Divino afflatu*, diei 1 Novembris 1911.

Missale nunc adhibendum, est: « Missale Romanum, ex Decreto Sacros. Concilii Trid. restitutum – S. Pii V Pont. Max. iussu editum – aliorumque Pontificum cura recognitum – a Pio X reformatum – et Ssñi Domini Nostri Benedicti XV auctoritate vulgatum – iuxta typicam editionem Vaticanam ».

Art. II. – Divisio libri.

[5] Missale Romanum *ordine, prout sequitur*, est dispositum:

A) Quasi in quodam *primo Prooemio* referuntur Litterae Apostolicae S. Pii Papae V, Clementis VIII, Urbani VIII et Pii Papae X, de quibus supra dictum est.

Secundum Prooemium exhibet quinque articulos, qui sunt:

a) De anno et eius partibus; cum tribus tabulis: tabula paschalis antiqua reformata – tabula paschalis non reformata – tabella temporaria festorum mobilium, et Kalendarium.

b) Rubricae generales Missalis in 20 paragraphos distributae.

c) Additiones et variationes in Rubricis Missalis, ad normam Bullae *Divino afflatu* et subsequentium S. R. C. Decretorum: in 10 paragraphos.

d) Ritus servandus in celebratione Missae: 13 paragraphis constans.

e) De defectibus in celebratione Missae occurrentibus: in 10 paragraphos.

In *tertio Prooemio* habentur:

a) Praeparatio Missae;

b) Gratiarum actio post Missam;

c) Ordo incensandi oblata.

B) *Partes praecipuae* in quas *Missale Romanum dividitur, sunt tres:*

1. – *Proprium de Tempore*

exhibens Missas proprias Dominicarum, nonnullarum feriarum (ex. gr. Quatuor temporum) nec non vigiliarum et quorundam festorum, quae in certis anni ecclesiastici temporibus (Adventus, Nativitatis, Epiphaniae Domini, Paschatis, Pentecostes, etc.) locum habent.

Hoc *Proprium de tempore* in Missali Romano disponitur prout sequitur:

a) Missae pro Dominica I, II, III Adventus; Quatuor Temporum Adventus; Dominicae IV Adventus.

Vigiliae Nativitatis Domini.

Nativitatis Domini – S. Stephani Protom. – S. Ioannis Ap. et Ev. – Ss. Innocentium.

Dominicae infra octavam Nativitatis.

S. Thomae Ep. et Mart., S. Silvestri Papae et Conf.

Missa in Circumcisione Domini, et octava Nativitatis.

Ssm̃i Nominis Iesu.

In vigilia Epiphaniae.

In Epiphania Domini.

In festo S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph.

Dominicae infra octavam Epiphaniae.

In Octava Epiphaniae.

b) Missae pro Dominicis I, II, III, IV, V, VI post Epiphaniam.

c) Missae in Dominicis: Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima.

d) Feria IV Cinerum – Fer. V, VI, Sabbato post Cineres.

e) Missa in Dominica I Quadragesimae, – ac singulis hebdomadae diebus (inter quas incidunt: feria IV et VI, et Sabbatum Quatuor Temporum).

In Dominicis (ac singulis hebdomadum diebus) II, III, IV Quadragesimae.

Dominica de Passione cum sua hebdomada.

Dominica in Palmis, cum sua Hebdomada Maiori usque ad Sabbatum Sanctum inclusive.

Hic interrumpitur series Missarum de Tempore, et interponitur:

a) *Ordo Missae* cum diversis Praefationi-

bus. Praefationum ordo est prout sequitur: Praefatio de Nativitate Domini (cum « Communicantes » propr.); Epiphaniae Domini (item, cum « Communicantes » propr.); de Quadragesima; de Cruce; Paschatis (cum « Communicantes » et « Hanc igitur » propr.); de Ascensione Domini (cum « Communicantes » propr.); Ssmi Cordis Iesu; Iesu Christi Regis; de Spiritu Sancto (cum « Communicantes » et « Hanc igitur » propr.); de Sanctissima Trinitate; de B. M. Virgine; de S. Ioseph; de Apostolis; Praefatio communis; et defunctorum.

β) *Canon Missae.*

Prosequitur inde Missarum de Tempore dispositio:

f) Dominica Resurrectionis cum sua hebdomada; Dominica in Albis; Dominica II et III, IV et V post Pascha; in Litaniis maioribus; in Vigilia Ascensionis; in Ascensione Domini; Dominica infra octavam Ascensionis.

g) Sabbato in Vigilia Pentecostes; Dominica Pentecostes cum sua hebdomada, in qua feriae IV, VI et Sabbatum Quatuor Temporum; in festo Sanctissimae Trinitatis.

h) Incipit deinde Series Dominicarum post Pentecosten a prima usque ad Dominicam XXIV.

Post vero primam Dominicam incidit Festum Ssmi Corporis Christi cum sua octava, et Dominica infra hanc octavam.

Feria autem VI post Octavam Ss. Corporis Domini, ex Decreto S. C. R. 29 Ian. 1929, ponitur Missa – etiam pro votiva adhibenda – cum Octava de Sacratissimo Corde Iesu.

Post vero Dominicam XVII habentur Missae Quatuor Temporum Septembris. – Denique, inter Dominicam XXIII et XXIV interponuntur Quatuor Missae, pro Dominicis III, IV, V, VI, quae supersunt post Epiphaniam.

2. – *Proprium Missarum de Sanctis*

continet Missas vel Missarum partes quae propriae sunt festorum, in genere, singulorum Sanctorum, quae iuxta Kalendarium disponuntur. Initium fit die 28 Novembris, finis vero die 26 eiusdem mensis Novembris, in festo S. Silvestri Abbatis.

Sub die 2 Novembris ponuntur tres Missae pro Commemoratione omnium fidelium defunctorum.

Quamvis diei affixae non sint, interponuntur tamen in Proprio Sanctorum Missae:

a) Septem dolorum B. M. V. (quod festum incidit in feriam VI post Dominicam Passionis), quae praecise ponitur post festum S. Ioannis a Capistrano, die 28 Martii;

b) Solemnitatis S. Ioseph (quae fit feria IV infra hebdomadam II post octavam Paschae), quae ponitur post festum S. Catharinae Senensis, die 30 Aprilis;

c) Sacratissimi Cordis Iesu (feria VI post Octavam Corporis Christi), et ponitur post festum S. Petronillae, die 31 Maii, uti supra dictum est.

d) D. N. Iesu Christi Regis (Dominica ultima mensis Octobris), et ponitur post festum S. Raphaelis Arch., die 24 Octobris.

3. – *Commune Sanctorum*

exhibet Missas quae communes sunt, in genere, pro diversis Sanctis, pro quibus Missae propriae non extant.

Ordo harum Missarum idem est ac in Breviario; habentur nempe Missae:

a) in Vigiliis Apostolorum;

b) Unius Martyris extra tempus paschale (et quidem: Unius Martyris Pontificis Missae duae, et pro Martyre non Pontifice Missae duae);

c) Plurimorum Martyrum extra tempus paschale, Missae tres;

d) Martyrum, tempore paschali (pro uno Martyre Missa una, pro pluribus Martyribus Missa una);

e) Confessoris Pontificis, Missae duae;

f) Doctorum, Missa una;

g) Confessoris non Pontificis, Missae duae;

h) Abbatum, Missa una;

i) Virginum, Missae quatuor; duae pro Virgine et Martyre; duae pro Virgine tantum.

k) Non Virginum, Missae duae: pro Martyre non Virgine, pro nec Virgine nec Martyre;

l) Dedicationis Ecclesiae, Missa una:

m) Festorum B. M. Virginis, Missa una;

n) De S. Maria in Sabbato, Missae quinque.

Post *Commune Sanctorum* habentur:

Missae Votivae.

Series prima:

[6] *a*) Feria II: Missa de Ssña Trinitate;

b) Feria III: Missa de Angelis;

c) Feria IV: Missa de S. Ioseph;

d) Item, Feria IV: Missa de Ss. Ap. Petro et Paulo;

e) Pariter, Feria IV: Missa de omnibus Apostolis;

f) Feria V: Missa de Spiritu Sancto;

g) Item Feria V: Missa de Ssñae Eucharistiae Sacramento;

h) Feria VI: Missa de S. Cruce;

i) Item, Feria VI: Missa de Passione.

Series altera:

a) Missa pro eligendo Summo Pontifice;

b) In die creationis et coronationis Papae, et in eorum dierum anniversario;

c) In consecratione Episcopi;

d) In anniversario electionis et consecrationis Episcopi;

e) In collatione Sacrorum Ordinum;
f) Missa pro sponso et sponsa;
g) Missa pro Fidei propagatione;
h) Missa contra paganos;
i) Ad tollendum schisma;
k) Missa tempore belli;
l) Missa pro pace;
m) Pro vitanda mortalitate;
n) Ad postulandam gratiam Spiritus Sancti;
o) Missa pro remissione peccatorum;
p) Pro peregrinantibus et iter agentibus;
q) Missa pro infirmis;
r) Ad postulandam gratiam bene moriendi;
s) Pro quacumque necessitate;
t) Pro gratiarum actione.

Post *Missas votivas* ponuntur:

ORATIONES DIVERSAE

sive ad poscenda suffragia Sanctorum, sive pro determinatis personis, sive pro diversis necessitatibus. Trigintaquinque enumerantur.

[7] Deinde:

MISSAE PRO DEFUNCTIS

Missae tres in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, ut iam dictum est, ponuntur in « Proprio Sanctorum » sub die 2 Novembris.

Sub hoc titulo habentur Missae:

a) in die obitus seu depositionis defuncti;

b) in anniversario defunctorum;

c) in Missis quotidianis defunctorum.

Sequuntur:

α) *Orationes diversae pro defunctis*
quae septemdecim enumerantur.

β) *Absolutio super tumulum*
cum suis orationibus et rubricis.

Quasi per modum Appendicis, hic ponuntur:

a) Ordo ad faciendam aquam benedictam;

b) Benedictiones diversae, sive non reservatae sive reservatae.

Habentur, denique:

MISSAE PROPRIAE

quae in aliquibus locis celebrari possunt; seu:

NONNULLAE MISSAE PROPRIAE:

a) in honorem D. N. I. C.;

b) in honorem B. M. Virginis;

c) in honorem Sanctorum.

MISSAE IN COMMUNE SANCTORUM
PRO ALIQUIBUS LOCIS

seu Missae:

a) plurium Confessorum Pontificum;

b) plurium Confessorum non Pontificum;

c) plurium Virginum (pro Virginibus et martyribus, una Missa; altera pro Virginibus tantum);

d) plurium non Virginum (pro Martyribus una; altera pro non Martyribus).

Caput III.

De Rituali Romano.

Art. I. – Notitiae.

[8] *Rituale Romanum est liber continens ritus et caeremonias, quae adhiberi solent a Sacerdotibus in administratione Sacramentorum et Sacramentalium;*[1] nec non regulas, in adiurationibus seu exorcismis, et in exequiis ac processionibus peragendis.

In antiquioribus Ritualibus, ut deduci potest ex Sacramentario S. Gregorii, continebantur quoque ritus et caeremoniae adhibendae in celebratione Missae. Hae autem, ut iam dictum est in Capite tertio, processu temporis in Missale insertae fuerunt.

Xistus V, Congregationem SS. RR. instituens, ordinavit etiam revisionem et emendationem Ritualis, in qua Iulius Antonius Santorius strenue adlaboravit. Paulus Papa V novum Rituale

---

[1] Quae S. Ordinationem et Confirmationem atque alias functiones episcopales respiciunt, in Pontificali Romano proprium locum habent.

edere iussit, data Apostolica Constitutione *Apostolicae Sedi*, die 20 mensis Iunii a. D. 1614.

Benedictus Papa XIV, datis Apostolicis litteris *Quam ardenti studio* die 25 mensis Martii 1752,[1] Rituale Romanum iterum emendavit, ipsumque edi iussit sub hoc titulo: « Rituale Romanum Pauli V Pont. Max. iussu editum atque a Benedicto XIV auctum et castigatum, in quo quae Parochis ad administrationem Sacramentorum, Benedictiones et coniurationes necessaria censentur, accurate sunt posita ».

Anno 1847 ex Typographia Polyglotta Sacrae Congregationis de Propaganda Fide nova editio prodiit Ritualis Romani nigris et rubris characteribus impressa; in qua positus fuit per extensum ritus servandus in Baptismo adultorum; et ritus supplendi caeremonias omissas in administratione Baptismi.

Hodie habetur *Editio typica Vaticana* novi Ritualis Romani (1926) per Decretum S. C. Rituum diei 10 mensis Iunii a. D. 1925 probata, cui titulus: « Rituale Romanum Pauli V Pont. Maximi iussu editum, aliorumque Pontificum cura recognitum, atque auctoritate Ssñi D. N. Pii Papae XI ad normam Codicis iuris canonici accommodatum ».

---

[1] Quae Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum quoque respiciunt.

Art. II. – Divisio libri.

[9] *Textus* Ritualis Romani, prouti *in editione typica* Vaticana, a S. C. RR. Decreto diei 10 mensis Iunii anni 1925 probata, proponitur, exhibet:

1. Constitutionem Apostolicam Pauli Pp. V « Apostolicae Sedi » diei 17 Iunii a. D. 1614;
2. Rituale Romanum proprie dictum;
3. Appendicem eiusdem Ritualis.

Rituale Romanum *12 Titulis* constat, in 96 capita distributis, prout sequitur:

Tit. I, *Caput unicum* – De iis quae in administratione Sacramentorum generaliter servanda sunt.

Tit. II, est circa administrationem *Sacramenti Baptismi*, et in *8 capita* dividitur.

Tit. III, *5 capita* complectens, ea continet quae ad *Sacram. Poenitentiae* administrationem attinent.

Tit. IV, respicit administrationem *Ssmae Eucharistiae: 4 capitibus* constat.

Tit. V, ea continet quae ad Sacramentum *Extremae Unctionis* et ad infirmorum et morientium spirituale auxilium attinent*: 8 capitibus* constat.

In Tit. VI, *7 capitibus* distincto, agitur *de exequiis et de sepultura* ecclesiastica.

Tit. VII, respicit *Sacramentum Matrimonii*, et dividitur in *3 capita.*

In Tit. VIII, agitur *de Benedictionibus*, sive *ordinariis – de quibus in primis 19 capitibus* – sive de iis quae faciendae sunt *ab Episcopis* vel ab aliis facultatem habentibus: de his in *aliis 14 capitibus.*

Tit. IX, respicit *Processiones*, et dividitur in *14 capita.*

In Tit. X, habentur *Litaniae:* Ssmi Nominis Iesu – de S. Corde Iesu – Lauretanae B. M. V. – et de S. Ioseph, in *4 capitibus* distinctae.

Tit. XI, in *3 capitibus*, agit de *Exorcismis.*

Tit. XII, *de Libris paroecialibus*, in *6 capitibus.*

Appendix Ritualis Romani in *duas partes* praecipuas dividitur: *In prima parte* agitur *de Sacramentis*, in 4 articulis: de Baptismo – de Confirmatione per simplicem Sacerdotem administranda – de Ssma Eucharistia – de Matrimonio, in quo et de Benedictione nuptiali extra Missam. Quintus articulus additur circa consecrationem altarium execratorum, pro casibus de quibus in can. 1200 §§ 1, 2. nn. 1, 2.

In altera parte Appendicis *plures Benedictiones* exhibentur, hoc ordine, nempe:

a) Benedictiones non reservatae;

b) Benedictiones reservatae: sive ab Ordinario faciendae vel ab eius delegato; sive a Sacerdotibus Apostolicum indultum habentibus;

c) Benedictiones propriae nonnullorum Ordinum Regularium seu Congregationum religiosarum, a Sacerdotibus Apostolicum indultum habentibus adhibendae;

d) Benedictiones adprobatae pro aliquibus locis, a Sacerdotibus Apostolicum indultum habentibus adhibendae.

Appendix prima.

De Caeremoniali Episcoporum.

[10] « Caeremoniale Episcoporum » omnibus, ecclesiis, praecipue autem Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis perutile ac necessarium (est liber), in quo Ritus et Caeremoniae celebrandi Divina Officia, ac in aliis Ecclesiae functionibus et actionibus ab iisdem Episcopis, aliisque Praelatis inferioribus observandae; ac modus etiam praecedendi tam inter personas ipsas ecclesiasticas, quam etiam inter eas et laicos similiter servandus, continentur ». [1]

Editio ab Ecclesiastica Auctoritate probata ea est, cui titulus: « Caeremoniale Episcoporum Clementis VIII, Innocentii X et Benedicti XIII iussu editum – Benedicti XIV et Leonis XIII auctoritate recognitum ».

---

[1] Ex Litt. Ap. Innocentii Papae X *Etsi alias*, diei 30 Iul. 1650.

Exhibet, quasi prooemium, Litteras Apostolicas in forma Brevis Benedicti XIV « Quam ardenti studio » diei 25 mensis Martii a. D. 1752 de nova Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, nec non et Romani Pontificalis editione.

Dividitur in tres libros, quorum primus constat 31 Capitibus; secundus in 39 Capita partitur; tertius vero 11 Capita complectitur.

Perutilis est Clericis, eo quod ea omnia continet, quae in Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis ab Episcopis et Praelatis peraguntur.

Appendix altera.

De Pontificali Romano.

[11] Pontificale Romanum continet ritus et caeremonias quae exclusive sunt propriae functionum episcopalium, iuxta verba Clementis Papae VIII: [1] « ... Romani Pontifices... Pontificales caeremonias ac ritus, quibus eiusdem Catholicae Ecclesiae Praesules in suorum munerum functione uterentur, certis similiter forma et modo praefinitis, in Romanum Pontificale retulerunt ».

Editio typica, Decreto S. C. RR. diei 3 Augusti 1888 probata, ea est cui titulus: « Pontificale

---

[1] Ex Litt. Apost. *Ex quo*, diei 10 mensis Februarii a. D. 1596.

Romanum Summorum Pontificum iussu editum a Benedicto XIV et Leone XIII Pont. Max. recognitum et castigatum ».

In ea praemittitur Breve Benedicti Pp. XIV « Quam ardenti studio » diei 25 mensis Martii a. D. 1752.

Habentur deinde, quasi prooemium, nonnulli versiculi « De Recuso Pontificali », quorum primi ita se habent: « Vos, o Pontifices, vos o sacra nomina Mystae,

Atque Sacerdotes, vario quos ordine Divum Mancipat obsequiis ultro iurata voluntas:

Quos votum, exortisque ligat pia regula vitae,

Huc animum, huc oculos. Vobis heic sancta laborat

Relligio, et Latii sancit Decreta Senatus

Multa docens, et quos praescribit Romula ritus

Infula, et antiquum templorum insistere morem ».

Dividitur Pontificale Romanum in *tres partes*, quibus *additur Appendix* et *Supplementum*.

Prima pars exhibet ritus Confirmationis, S. Ordinationis, Consecrationis episcopalis, Benedictionis Abbatis, Abbatissae, etc., Benedictionis et Coronationis Regis, Reginae, etc., novi Militis, creationis Militis Regularis. Complectitur 31 titulos.

Secunda pars continet Benedictiones et Con-

secrationes proprias Episcoporum; et dividitur in 38 titulos.

Tertia pars agit de poenis ecclesiasticis, de reconciliatione poenitentium, de receptione Imperatoris vel Principis et de aliis nonnullis. Complectitur 31 titulos.

Appendix denique, de administratione Sacramentorum per Episcopos facienda, *19 titulos comprehendit*; et *supplementum*, de consecratione altarium, in *3 titulos* dividitur.

Optimum est si Clerici etiam de hoc libro aliquid cognoscant; praecipue ii, qui Episcopo adsistere debent, sive in publicis, sive in privatis sacris functionibus, quae ab ipso Episcopo peraguntur.

PARS SECUNDA.

PRECES, PSALMI ETC. MEMORITER RETINENDI

Ut ordinate, quae in hac Secunda Parte collegimus, proponerentur, ea in quatuor capita distribuere visum est; ita ut, quae Clericos et Minoristas respiciunt, in primo Capite exponantur, in aliis tribus Capitibus: quae Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros. Hac ratione Ordinandi omnia scitu ipsis necessaria gradatim addiscere poterunt.

Caput I.

Pro Clericis et Minoristis.

Dividimus hoc primum Caput in tres Articulos, quorum primus pro Clericis, secundus pro Lectoribus, tertius pro Exorcistis.

Art. I. – Pro Clericis.

§ 1. – *Preces propriae pro iis qui Tonsuram clericalem recipiunt.*

[12] *a*) Dum vestem talarem induit, Clericus dicit: « Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, Tu es qui restitues haereditatem meam mihi ».

b) Dum induit superpelliceum: « Indue me Domine novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis ».

§ 2. – *Preces, psalmi, hymni, litaniae, etc.*

[13] quae, secundum opportunitatem, recitantur; quaeque Clerici, in genere, memoriter retinere debent.

A) PRECES COMMUNIORES.

a) **Pater.**

[14] Pater noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem: sed líbera nos a malo. Amen.

b) **Ave Maria.**

[15] Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus: Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

c) Credo.

[16] Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus: descéndit ad ínferos: tértia die resurréxit a mórtuis: ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

d) Invocatio Spiritus Sancti.

[17] Veni, Sancte Spíritus; reple tuórum corda fidélium; et Tui amóris in eis ignem accénde.

℣. Emítte Spíritum tuum et creabúntur.

℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus.

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere; et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

e) Actus Fidei.

[18] Firma fide credo te Deum esse, Unum in essèntia, Trinum in persónis; credo Fílium Dei Jesum Christum incarnátum, passum pro nobis et mórtuum; credo te remuneratórem bonórum et víndicem malórum; credo et profíteor quæ Sýmbolo Apostolórum continéntur, et ómnia ac síngula, quæ Sancta Ecclésia Románo-Cathólica mihi credénda propónit, quia tu, Deus, summa véritas es, qui ea revelásti. In hac fide et pro hac fide vívere et mori volo ac státuo.

Credo, Dómine, ádjuva incredulitátem meam. (Marc., IX, 23).

f) Actus Spei.

Misericordíssime Deus, spero per passiónem et mérita Jesu Christi hic tuam grátiam et remissiónem peccatórum, posthac vitam ætérnam in beatífica tui possessióne; quia tu, Deus meus, omnípotens es, et infiníte bonus erga nos, ac fidélis in promíssis.

Dóminus firmaméntum meum et refúgium meum, liberátor meus, adjútor meus; sperábo in eum, non confúndar in ætérnum. (*Ps. 17*, v. 3.).

g) Actus Caritatis.

Amo te, Deus meus, super ómnia ex toto corde: amo te propter te, quia in te ipso es summe bonus et ipsa bónitas infiníta, et ídeo

dignus, ut améris ab ómnibus: ament te omnes hómines! Laudent te omnes creatúrae! Utinam ego te, Deus, plus amárem! Vere me pœnítet, quod umquam te offénderim; jam státuo serváre ómnia mandáta tua.

Tu scis, Dómine, quia amo Te! (Ioann., XXI, 15)

h) **Actus Contritionis.**

Dómine Deus, dóleo ex íntegro corde de peccátis commíssis, quia per ea te, summum bonum super ómnia diléctum, offéndi; et detéstor ea, quia tibi displícent: propóno fírmiter non peccáre de cætero: et ex hoc moménto státuo vitáre et tóllere occasiónes omnes, causas et perícula peccatórum, potíus vitam et ómnia amíttere; státuo étiam peccáta mea quamprímum confitéri, et in satisfactiónem accépto de manu tua ómnia advérsa, labóres et ónera.

Cor contrítum et humiliátum, Deus non despícies. (*Ps. 50*, 19).

IN HONOREM B. M. VIRGINIS.

i) **Oratio S. Bernardi.**

[19] Memoráre, o piíssima Virgo María, non esse audítum a sæculo, quemquam ad tua curréntem præsídia, tua implorántem auxília, tua peténtem suffrágia, a te esse derelíctum. Ego, tali animátus confidéntia, ad te, Virgo vírginum,

Mater, curro, ad te vénio, coram te gemens peccátor assísto. Noli, Mater Verbi, verba mea despícere, sed audi propítia et exáudi. Amen.

l) Laus B. Mariae V. Immaculatae.

Antiphona.

[20] ℣. Tota pulchra es, María.
℟. Tota pulchra es, María.
℣. Et mácula originális non est in Te.
℟. Et mácula originális non est in Te.
℣. Tu glória Jerúsalem.
℟. Tu lætítia Israël.
℣. Tu honorificéntia pópuli nostri.
℟. Tu advocáta peccatórum.
℣. O María.
℟. O María.
℣. Virgo prudentíssima.
℟. Mater clementíssima.
℣. Ora pro nobis.
℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.
℣. In Conceptióne tua, Virgo, Immaculáta fuísti.
℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Fílium peperísti.

Orémus.

Deus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Fílii

tui prævísa Eam ab omni labe præservásti; nos quoque mundos Ejus intercessióne ad Te pervenire concédas. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

m) Modus pie recitandi Rosarium.

[21] Integrum Rosarium quindecim constat decadibus. Hoc autem pietatis exercitium optime inchoatur ab Oratione *Veni, Sancte*, etc. Tum ad crucem dicitur *Credo;* ad maiora grana, *Pater noster*; ad minora, *Ave, Maria.* Ante Orationem Dominicam semper dicitur: *Gloria Patri.*

Rosarium saepe dividitur in tres partes, quarum prima vocatur *Rosarium gaudiosum;* secunda, *dolorosum;* tertia, *gloriosum.* Ad singula minora grana quinque decadum expendi possunt totidem mysteria, insertis post nomen *Iesus* sequentibus verbis:

I. – Pro Rosario Gaudioso.

In 1. decade. *Quem Virgo concepisti.*
In 2. *Quem visitando Elisabeth portasti.*
In 3. *Quem virgo genuisti.*
In 4. *Quem in templo praesentasti.*
In 5. *Quem in templo invenisti.*

II. – Pro Rosario Doloroso.

In 1. decade. *Qui pro nobis sanguinem sudavit.*
In 2. *Qui pro nobis flagellatus est.*
In 3. *Qui pro nobis spinis coronatus est.*

In 4. *Qui pro nobis Crucem baiulavit.*
In 5. *Qui pro nobis crucifixus est.*

III. – **Pro Rosario Glorioso.**

In 1. decade. *Qui resurrexit a mortuis.*
In 2. *Qui in Caelum ascendit.*
In 3. *Qui Spiritum Sanctum misit.*
In 4. *Qui te assumpsit.*
In 5. *Qui te in Caelis coronat.*

MYSTERIA QUAE CONTEMPLANTUR
VEL MEDITANTUR IN ROSARIO MARIANO.

Pro Rosario Gaudioso.

(Feria II et V).

1º Annuntiatio Beatae Mariae Virginis et Verbi incarnatio. – Fructus mysterii: Humilitas.

2º Visitatio Beatae Mariae Virginis apud sanctam Elisabeth. – Fructus mysterii: Amor proximi.

3º Nativitas Domini Nostri Iesu Christi. – Fructus mysterii: Paupertas.

4º Praesentatio Iesu in Templo. – Fructus mysterii: Obedientia.

5º Inventio Iesu in Templo. – Fructus mysterii: Iesu amantissima quaesitio.

Pro Rosario Doloroso.

(Feria III et VI).

1º Iesus in horto olivarum. – Fructus mysterii: Contritio.

2º Flagellatio. – Fructus Mysterii: Amor poenitentiae.

3º Iesus spinis coronatus. – Fructus mysterii: Mortificatio amoris proprii.

4º Baiulatio crucis. – Fructus mysterii: Patientia in malis vitæ tolerandis.

5º Iesus cruci affixus. – Fructus mysterii: Amor Iesu et Mariae.

Pro Rosario Glorioso.

(Dominica, feria IV et Sabbato).

1º Resurrectio. – Fructus mysterii: Conversio cordis.

2º Ascensio. – Fructus mysterii: Desiderium cœli.

3º Spiritus Sanctus in apostolos descendens. – Fructus mysterii: Mentis ad divina applicatio, animique puritas.

4º Assumptio Beatae Mariae Virginis. – Fructus mysterii: Gratia sancte moriendi.

5º Maria Virgo in caelis coronata. – Fructus mysterii: Fiducia ergo B. M. Virginem.

n) **Oratio in honorem S. Ioseph, Sponsi B. M. V.**

[22] Vírginum custos et pater, sancte Joseph, cujus fidéli custódiæ ipsa innocéntia Christus Jesus, et Virgo vírginum María commíssa fuit: te per hoc utrúmque charíssimum pignus, Jesum et Maríam, obsécro et obtéstor, ut me ab omni immundítia præservátum, puro corde et casto córpore, Jesu et Maríæ semper fácias castíssime famulári. Amen.

Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio.

℣. Ora pro nobis, S. Joseph.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es: præsta, quæsumus; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

o) **Pro SS. Apostolis Petro et Paulo.**

[23] Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.

℟. Et facta ejus intellexérunt.

Orémus.

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde; ut, ambórum méritis, æternitátis glóriam consequámur: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

p) Ad Angelum custodem.

[24] Angele Dei, qui custos es mei; me tibi commíssum pietáte supérna hódie illúmina, custódi, rege et gubérna. Amen.

q) Oratio pro SS. Missionibus.

[25] Dilectíssime Dómine Noster Jesu Christe, qui Sánguine tuo prætiosíssimo mundum univérsum redemísti, misericórdi ánimo ádspice Hóminum genus, eidémque magna ex parte adhuc tantis erróris mortísque ténebris involúto totíus veritátis claríssimum lumen osténde.

Sancti tui Evangélii, Dómine, Apostolórum áciem adáuge; alacritátem eórum inflámma laborésque pio favóre proséquere; et grátiæ tuæ auxíliis fœcúnda: ut infidéles univérsi Te agnóscant et ad Te ómnium Creatórem et Redemptórem convertántur.

In tuum ovíle qui errant, ad Tuæ veræ Eccléſiæ unitátem, qui ab ea defecérunt, révoca.

Fáustum advéntum regni tui in terra, Salvátor dilectíssime, festína; omnes hómines ita ad Cor tuum dulcíssimum allíciens, ut omnes Redemptiónis tuæ ingéntium beneficiórum, ætérna felicitáte, esse possint partícipes.

Indulgentia 300 dierum pro singulis christifidelibus, quoties contrito corde praedictam orationem recitaverint. Plenaria Indulgentia semel in mense, suetis conditionibus, si quotidie eandem orationem devote recitaverint.

(S. Poenit. Ap. die 18 mensis Maii a. 1926).

Invocatio.

Ut omnes errántes ad unitátem Ecclésiæ revocáre, et infidéles univérsos ad Evangélii lumen perdúcere dignéris: te rogámus audi nos.

Indulgentia 300 dierum pro singulis christifidelibus hanc invocationem contrito corde recitantibus.

(S. Poenit. Ap. die 18 mensis Maii a. 1926).

r) **In principio actionum.**

[**26**] Actiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra óratio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

s) **In fine.**

[27] Agimus Tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis Tuis. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

PRECES VESPERTINAE.

t) **Examen conscientiæ.**

[28] Veni, sancte Spíritus, et emítte cœlitus lucis tuæ rádium; illúmina mentis meæ ténebras, ut peccáta hódie commíssa, negligéntiasque meas videam, agnóscam et detéster.

Quantas habeo iniquitátes et peccáta! Scélera mea et delícta osténde mihi.

Deinde conscientiam discute.

Omnes diei horas percurre; et vide, quid boni neglexeris, quid mali commiseris, cogitatione, verbo et opere. Delictorum veniam posce.

En, Dómine Deus, quid retríbui tibi pro ómnibus quæ retribuísti mihi, nisi peccáta negligéntias et ingratitúdines? Ah! quam doleo, quod te Deum, summum bonum meum, mihi super ómnia diléctum, umquam offendérim! Tibi soli peccávi et malum coram te feci. Errávi, sicut ovis quæ périit. Réspice in me, et miserére mei. Ignósce, o Deus, ignósce per gémitus, lácrymas, passiónem et mortem dilectíssimi Fílii tui Dómini mei Jesu Christi.

Ecce, mi Jesu, in te pósita est omnis spes mea. Te supplex oro, ut ómnia scélera et delícta mea sacratíssimo Sánguini tuo immérgas, tuísque infinítis méritis compénses quidquid meæ satisfactióni deest; tu enim es propitiátio pro peccátis nostris.

Iterum ne peccábo? Túaque, o Jesu, sanctíssima vúlnera, et prætiósum Sánguinem per me effúsum conculcábo? Pudet óculos in cœlum leváre, qui vita me indígnum agnósco. Quid ergo in pósterum? Tene rursus offéndam? Hæccine peccáta répetam? Istas *N.* occasiónes non fúgiam? Rem *N.* tam vilem tibi præferam? Dixi: Nunc cœpi; tuam mihi, o Jesu, déxteram pórrige. Pérsequar inimícos, id est, peccáta mea. Succurríte, o Cœlites, tuque in primis, o misericórdiae Mater, et tu, Angele mi Custos, vosque nominátim, o Patróni mei *NN.* adéste, adjuváte, ut ómnia in pósterum peccáta évitem, potíssimum istud *N.* Confírma hoc, Deus, quod modo operátus es in me!

u) **Oratio ad SS.mam Trinitatem, pro felici morte impetranda.**

[29] Pater ætérne, per infinítam bonitátem tuam, per vitam et mortem dilectíssimi Fílii tui, te rogo, concéde mihi, ut in tua grátia semper vivam et móriar. Amen.

Benignissime Jesu, per amórem Patris tui, quo te ab ætérno compléxus est, per última verba, quibus in cruce Patri tuum spíritum commendásti, te rogo, súscipe spíritum meum in fine vitæ meæ.

O sancte Spíritus, accénde in me perféctam charitátem, et in illa spíritum meum confírma, dum ex hac vita emígrat.

Sanctíssima Trínitas, unus Deus, miserére mei; nunc, et in hora mortis meæ. Amen.

v) Commendatio Deo, B. Virgini, Angelis et Sanctis.

In benedíctas manus tuas, Dómine Deus; et in sinum misericórdiæ tuae, o Virgo María; in vestram quoque protectiónem, o sancti Angeli, et elécti Dei *NN.*: corpus et ánimam nunc et semper commítto. Amen.

x) Ex Completorio.

[30] Te lucis ante términum
Rerum Creátor póscimus:
Ut pro tua cleméntia
Sis præsul et custódia.
Procul recédant sómnia,
Et nóctium phantásmata,
Hostémque nostrum cómprime
Ne polluántur córpora.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar únice
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes, ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi.
℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Vísita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle; Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

y) Ad petendam benedictionem.

[31] Dignáre, Dómine Jesu, cum Patre et Spíritu sancto, dare mihi tuam benedictiónem, uberémque grátiam, ut tibi in somno et vigília, in vita et in morte, puro corde et casto córpore perfécte semper pláceam.

Benedícat et custódiat nos omnípotens et miséricors Deus, Pater, et Fílius, et Spíritus sanctus. Amen.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi, commíssum pietáte supérna, illúmina, custódi, rege et gubérna. Amen.

[32] *B*) PSALMI.

a) **Psalmi ad Laudes Dominicae.**

Psalmus 92.

[33] Dóminus regnávit, decórem indútus est:* indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * a sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris, * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

Psalmus 99.

[34] Jubiláte Deo omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exsultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos:

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus: * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen ejus: quóniam suávis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Glória, etc.

Psalmus 62.

[35] Deus Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa: * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtútem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui iurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Glória, etc.

Canticum trium puerorum.

(Daniel, 3, 57, 88 et 56).

[**36**] Benedícite ómnia ópera Dómini Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite Angeli Dómini Dómino: * benedícite cæli Dómino.

Benedícite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino: * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol et luna Dómino: * benedícite stellæ cæli Dómino.

Benedícite omnis imber et ros Dómino: * benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis et æstus Dómino: * benedícite frigus et æstus Dómino.

Benedícite rores et pruína Dómino: * benedícite gelu et frigus Dómino.

Benedícite glácies et nives Dómino: * benedícite noctes et dies Dómino.

Benedícite lux et ténebræ Dómino: * benedícite fúlgura et nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum: * laudet, et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite montes et colles Dómino: * benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino: * benedícite mária et flúmina Dómino.

Benedícite cete, et ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite omnes vólucres cœli Dómino.

Benedícite omnes béstiæ et pécora Dómino: * benedícite fílii hóminum Dómino.

Benedícat Israël Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite sacerdótes Dómini Dómino:* benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus, et ánimæ justórum Dómino: * benedícite sancti, et húmiles corde Dómino.

Benedícite Ananía, Azaría, Mísael Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum sancto Spíritu: * laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli: * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

Hic non dicitur Glória Patri, *neque* Amen.

Psalmus 148.

[37] Laudáte Dóminum de cælis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Angeli ejus: * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna: * laudáte eum omnes stellæ, et lumen.

Laudáte eum cæli cælórum: * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum: * quæ fáciunt verbum ejus:

Montes, et omnes colles: * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora: * serpéntes, et vólucres pennátæ:

Reges terræ, et omnes pópuli: * príncipes, et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines: senes cum junióribus laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cælum et terram: * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus: * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Glória, etc.

Canticum Zachariæ.

(Luc., 1, 68-79).

[38] Benedíctus Dóminus Deus Israël, * quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ:

Et eréxit cornu salútis nobis: * in domo David púeri sui.

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, Prophetárum ejus:

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos:

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * et memorári testaménti sui sancti.

Jusjurándum, quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.

In sanctitáte, et justítia coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus: * in remissiónem peccatórum eórum:

Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens ex alto:

Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra

mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória, etc.

b) Psalmi in Vesperis Dominicae.

Psalmus 109.

[39] Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedec.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Glória, etc.

Psalmus 110.

[40] Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Conféssio et magnificéntia opus ejus: * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hereditátem Géntium: * opéra mánuum ejus véritas, et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Glória, etc.

Psalmus 111.

[41] Beátus vir, qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo ejus: * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * misércors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dómino, confirmátum est cor ejus: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Glória, etc.

Psalmus 112.

[**42**] Laudáte púeri Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * et super cælos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Glória, etc.

Psalmus 113.

[43] In éxitu Israël de Ægýpto, * domus Jacob de pópulo bárbaro:

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israël potéstas ejus.

Mare vidit, et fugit: * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exsultavérunt ut aríetes: * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi mare quod fugísti: * et tu Jordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes exsultástis sicut aríetes, * et colles sicut agni óvium.

A fácie Dómini mota est terra, * a fácie Dei Jacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis: * sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua, et veritáte tua: * nequándo dicant Gentes: Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cælo: * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra Géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur: * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient: * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt: pedes habent, et non ambulábunt: * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea: * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino: * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino: * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino: * adjútor eórum et protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri: * et benedíxit nobis:

Benedíxit dómui Israël: * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus, qui timent Dóminum,* pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos: * super vos, et super fílios vestros.

Benedícti vos a Dómino, * qui fecit cælum, et terram.

Cælum cæli Dómino: * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine: * neque omnes, qui descéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Glória, etc.

Canticum B. Mariæ V.

(Luc., 1, 46-55).

[**44**] Magníficat * ánima mea Dóminum:

Et exsultávit spíritus meus * in Deo salutári meo.

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Quia fecit mihi magna qui potens est: * et sanctum nomen ejus.

Et misericórdia ejus a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis: * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham et sémini ejus in sæcula.

Glória, etc.

c) **Psalmi qui ponuntur ultimo loco in Vesperis.**

Psalmus 116.

[**45**] Laudáte Dóminum omnes Gentes: * laudáte eum omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória, etc.

Psalmus 115.

[**46**] Crédidi, propter quod locútus sum:* ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam láudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis

pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Glória, etc.

Psalmus 131.

[47] Meménto, Dómine David, * et omnis mansuetúdinis ejus:

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem:

Et réquiem tempóribus meis: donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam: * et sancti tui exsúltent.

Propter David servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam: * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodiérint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea hæc, quæ docébo eos:

Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi: * hic habitábo quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári: * et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Glória, etc.

d) **Psalmi in Vesperis Festorum B. M. V.**

Dixit Dóminus; Laudáte pueri; deinde:

Psalmus 121.

[48] Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis Jerúsalem.

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dó-

mini * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: * et abundántia diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua: * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te.

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Glória, etc.

Psalmus 126.

[49] Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini fílii: merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Glória, etc.

Psalmus 147.

[50] Lauda Jerúsalem Dóminum: * lauda Deum tuum Sion.

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit,

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea: * flabit spíritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Jacob: * justítias, et judícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * et judícia sua non manifestávit eis.

Glória, etc.

e) **Psalmi in Completorio de Dominica.**

Psalmus 4.

[51] Cum invocárem exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei. * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino: * multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Glória, etc.

Psalmus 90.

[52] Qui hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, et refúgium meum: * Deus meus sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: * et sub pennis, ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus: * non timébis a timóre noctúrno,

A sagítta volánte in die, a negótio perambu-

lánte in ténebris: * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis: * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea: * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum: * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te: * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem, et basilíscum ambulábis: * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne: erípiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum: * et osténdam illi salutáre meum.

Glória, etc.

Psalmus 133.

[53] Ecce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini:

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cœlum et terram.

Glória, etc.

Canticum Simeonis.

(Luc., 2, 29-32).

[54] Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace:

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum.

Lumen ad revelatiónem Géntium, * et glóriam plebis tuæ Israël.

Glória, etc.

f) **Alii Psalmi communiores.**

Psalmus 69.

[55] Deus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur et revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum, et erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper: magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus, et pauper sum: * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Gloria, etc.

Psalmus 50.

[56] Miserére mei Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi et malum coram te feci: * ut justificéris in sermónibus tuis, et vincas cum judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum Deus non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória, etc.

Psalmus 129.

[57] De profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimas eorum.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Deus véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam; ut nostrae congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beata María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Fidélium Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuá-

rum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis, etc.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.

C) HYMNI.

In honorem Spiritus Sancti.

Hymnus.

[58] Veni, Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérna grátia,
Quæ tu creásti péctora.

Qui díceris Paráclitus,
Altíssimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et spiritális únctio.

Tu septifórmis múnere,
Dígitus Patérnæ déxteræ,
Tu rite promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus:
Infúnde amórem córdibus:
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.

Hostem repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus:
Ductóre sic te prævio
Vitémus omne nóxium.

Per te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Teque utriúsque Spíritum,
Credámus omni témpore.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur.
℟. Et renovábis fáciem terræ.

Orémus.

Deus, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

In honorem SS.mae Eucharistiae.

Hymnus.

[59] Pange lingua gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem in mundi prétium
Fructus ventris generósi
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intácta Vírgine,
Et in mundo conversátus,
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátus
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recúmbens cum frátribus,
Observáta lege plene
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem éfficit:
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus déficit:
Ad firmándum cor sincérum
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacraméntum
Venerémur cérnui:
Et antíquum documéntum
Novo cedat rítui:
Præstet fides suppleméntum
Sénsuum defectui.

Genitóri, Genitóque
Laus et jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque

Sit et benedíctio:
Procedénti ab utróque
Compar sit laudátio. Amen.

℣. Panem de cælo præstitísti eis.
℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Orémus.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue quæsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

In honorem Sanctae Crucis.

Hymnus.

[60] Vexílla Regis pródeunt:
Fulget Crucis mystérium,
Qua vita mortem pértulit,
Et morte vitam prótulit.
Quæ vulneráta lánceæ
Mucróne diro, críminum
Ut nos laváret sórdibus,
Manávit unda, et sánguine.
Impléta sunt, quæ cóncinit
David fidéli cármine,
Dicéndo natiónibus:
Regnávit a ligno Deus.
Arbor decóra, et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,

Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.
Beáta, cujus bráchiis
Prétium pepéndit sæculi,
Statéra facta córporis,
Tulítque prædam tártari.
O Crux ave spes única,
Hoc passiónis témpore [1]
Piis adáuge grátiam,
Reísque dele crímina.
Te, fons salútis Trínitas,
Colláudet omnis spíritus:
Quibus Crucis victóriam
Largíris, adde prǽmium. Amen.

Orémus.

Réspice, quǽsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum. Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

In honorem B. Mariae Virginis.

Hymnus.

[61] Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

[1] Tempore paschali hoc versiculum mutatur; et dicitur: « paschale quae fers gaudium ».

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

In honorem S. Joseph.

Hymnus.

[62] Te, Joseph, célebrent ágmina Cœlitum,
Te cuncti résonent Christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cum túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, et ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.

Post mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.

Nobis, summa Trias, parce precántibus,
Da Joseph méritis sídera scándere:

Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Ora pro nobis, Sancte Joseph.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur: ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Pro Apostolis.

Hymnus.

[63] Exsúltet orbis gáudiis,
Cælum resúltet láudibus:
Apostolórum glóriam
Tellus et astra cóncinunt.
Vos, sæculórum júdices,
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium:
Audíte voces súpplicum.
Qui templa cæli cláuditis
Serásque verbo sólvitis,
Nos a reátu nóxios
Solvi, jubéte, quæsumus,
Præcépta quorum prótinus
Languor, salúsque séntiunt,

Sanáte mentes lánguidas,
Augéte nos virtútibus:
Ut, cum redíbit árbiter
In fine Christus sæculi,
nos sempitérni gáudii
Concédat esse cómpotes.
Patri, simúlque Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Sæclum per omne glória. Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei.
℟. Et facta ejus intellexérunt.

Pro SS. Martyribus.

Hymnus.

[64] Deus tuórum mílitum
Sors, et coróna, prǽmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe mundi gáudia,
Et blanda fraudum pábula
Imbúta felle députans
Pervénit ad cœléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter,
Et sústulit viríliter,
Fundénsque pro te sánguinem
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime:
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

Laus et perénnis glória
Patri sit, atque Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

Pro SS. Confessoribus.

Hymnus.

[65] Iste Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem:
Hac die lætus méruit beátas
Scándere sedes.

Si non est dies obitus, quod indicant in Proprio Sanctorum litteræ m. t. v. (mutatur tertius Versus), dicatur:

Hac die lætus méruit suprémos
Laudis honóres.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum frequénter,
Ægra quæ passim jacuére, membra
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.

Noster hinc illi chorus obsequéntem
Cóncinit láudem, celebrésque palmas;
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli sólio corúscans,
Totíus mundi sériem gubérnat
Trinus, et unus. Amen.

Pro SS. Virginibus.

Hymnus.

[66] Jesu coróna Vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola Virgo párturit:
Hæc vota clemens áccipe.

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens prǽmia.

Quocúmque tendis, Vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur súpplices;
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

In Dedicatione Ecclesiae.

Hymnus.

[67] Cæléstis urbs Jerúsalem,
Beáta pacis vísio,
Quæ celsa de vivéntibus
Saxis ad astra tólleris,
Sponsáque ritu cíngeris
Mille Angelórum míllibus.

O sorte nupta próspera,
Dotáta Patris glória,
Respérsa sponsi grátia,
Regína formosíssima,
Christo jugáta Príncipi,
Cæli corúsca cívitas.

Hic margarítis émicant,
Paténtque cunctis óstia:
Virtúte namque prævia
Mortális illuc dúcitur,
Amóre Christi pércitus
Torménta quisquis sústinet.

Scalpri salúbris íctibus,
Et tunsióne plúrima,
Fabri políta málleo

Hanc saxa molem cónstruunt,
Aptísque juncta néxibus
Locántur in fastígio.

Decus Parénti débitum
Sit usquequáque altíssimo,
Natóque Patris único,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória
Ætérna sit per sæcula. Amen.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta.
℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Orémus.

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta, ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

In honorem SS. Angelorum.

Hymnus.

[68] Christe, sanctórum decus Angelórum,
Gentis humánæ Sator et Redémptor,
Cælitum nobis tríbuas beátas
Scándere sedes.

Angelus pacis Michaël in ædes
Cælitus nostras véniat, serénæ

Auctor ut pacis lacrimósa in orcum
Bella reléget.

Angelus fortis Gábriel, ut hostes
Pellat antíquos, et amíca cælo,
Quæ triumphátor státuit per orbem,
Templa revísat.

Angelus nostræ médicus salútis,
Adsit e cælo Ráphaël, ut omnes
Sanet ægrótos, dubiósque vitæ
Dírigat actus.

Virgo dux pacis Genitríxque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et micántis
Régia cæli.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.
℟. Habens thuríbulum aureum in manu sua.

Orémus.

Deus, qui, miro órdine, Angelórum minístéria hominúmque dispénsas: concéde propítius; ut, a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Pro SS. Angelis Custodibus.

Hymnus.

[69] Custódes hóminum psállimus Angelos
Natúræ frágili quos Pater áddidit
Cæléstis cómites, insidiántibus
Ne succúmberet hóstibus.

Nam, quod corrúerit próditor ángelus,
Concéssis mérito pulsus honóribus,
Ardens invídia péllere nítitur
Quos cælo Deus ádvocat.

Huc, custos, ígitur pervígil ádvola,
Avértens pátria de tibi crédita
Tam morbos ánimi quam requiéscere
Quidquid non sinit íncolas.

Sanctæ sit Tríadi laus pia júgiter,
Cujus perpétuo númine máchina
Triplex hæc régitur, cujus in ómnia
Regnat glória sæcula. Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris; largíre supplícibus tuis; et eórum semper

protectióne defendi, et ætérna societáte gaudére. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Pro gratiarum actione.

Hymnus Ambrosianus.

[70] Te Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi Cæli, et univérsæ Potestátes:

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis número,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * imménsæ majestátis;

Venerándum tuum verum * et únicum Fílium;

Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Sequens versus dicitur flexis genibus.

Te ergo, quæsumus, tuis fámulis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum Sanctis tuis * in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos,* et extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: * non confúndar in ætérnum.

℣. Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum.

℟. Et laudábilis, et gloriósus in sæcula.

℣. Benedicámus Patrem, et Fílium cum sancto Spíritu.

℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli.

℟. Et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cujus misericórdiæ non est número, et bonitátis infinítus est thesáurus: piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes: ut, qui peténtibus postuláta concédis, eosdem non déserens ad prǽmia futúra dispónas. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

D) ANTIPHONAE.

In honorem B. Mariae V.

quæ ad Laudes et ad Completorium dicuntur, secundum anni tempora.

Antiphona.

[**71**] Alma Redemptóris Mater, quæ pérvia cæli
Porta manes, et stella maris, succúrre cadénti,
Súrgere qui curat, pópulo: tu quæ genuísti,
Natúra miránte, tuum sanctum Genitórem,
Virgo prius ac postérius, Gabriélis ab ore
Sumens illud Ave, peccatórum miserére.

In Adventu:

℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ.
℟. Et concépit de Spíritu Sancto.

Orémus.

Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

A primis Vesperis Nativitatis, et deinceps:

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti.
℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Orémus.

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Amen.

Antiphona.

[72] Ave Regína cælórum,
Ave Dómina Angelórum:
Salve radix, salve porta,
Ex qua mundo lux est orta.

Gaude Virgo gloriósa,
Super omnes speciósa,

Vale o valde decóra,
Et pro nobis Christum exóra.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.
℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Orémus.

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Antiphona.

[73] Regína cæli lætáre, allelúja,
Quia quem meruísti portáre, allelúja,
Resurréxit sicut dixit, allelúja,
Ora pro nobis Deum, allelúja.

℣. Gaude et lætáre Virgo María, allelúja.
℟. Quia surréxit Dóminus vere, allelúja.

Orémus.

Deus, qui per resurrectiónem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut per ejus Genitrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Antiphona.

[74] Salve, Regína, mater misericórdiæ, vita, dulcédo, et spes nostra salve. Ad te clamámus

éxsules, fílii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrymárum valle. Eja ergo advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Maríæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte præparásti: da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus pia intercessióne ab instántibus malis, et a morte perpétua liberémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

E) LITANIAE.

Litaniae de Sacro Corde Iesu.

[75] Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, »
Spíritus Sancte, Deus, »

Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Cor Jesu, Fílii Patris ætérni, »
Cor Jesu, in sinu Vírginis Matris a Spíritu Sancto formátum, »
Cor Jesu, Verbo Dei substantiáliter unítum »
Cor Jesu, majestátis infinítæ »
Cor Jesu, templum Dei sanctum, »
Cor Jesu, tabernáculum Altíssimi, »
Cor Jesu, domus Dei et porta cæli, »
Cor Jesu, fornax ardens caritátis, »
Cor Jesu, justítiæ et amóris receptáculum, »
Cor Jesu, bonitáte et amóre plenum, »
Cor Jesu, virtútum ómnium abýssus, »
Cor Jesu, omni laude digníssimum, »
Cor Jesu, rex et centrum ómnium córdium, »
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ, »
Cor Jesu, in quo hábitat omnis plenitúdo divinitátis, »
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complácuit, »
Cor Jesu, de cujus plenitúdine omnes nos accépimus, »
Cor Jesu, desidérium cóllium æternórum, »
Cor Jesu, pátiens et multæ misericórdiæ, »
Cor Jesu, dives in omnes qui ínvocant te, »
Cor Jesu, fons vitæ et sanctitátis, »

Cor Jesu, propitiátio pro peccátis nostris, miserére nobis.
Cor Jesu, saturátum oppróbriis, »
Cor Jesu, attrítum propter scélera nostra, »
Cor Jesu, usque ad mortem obédiens factum, »
Cor Jesu, láncea perforátum, »
Cor Jesu, fons totíus consolatiónis, »
Cor Jesu, vita et resurréctio nostra, »
Cor Jesu, pax et reconciliátio nostra, »
Cor Jesu, víctima peccatórum, »
Cor Jesu, salus in te sperántium, »
Cor Jesu, spes in te moriéntium, »
Cor Jesu, delíciæ Sanctórum ómnium, »
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

℣. Jesu, mitis et húmilis corde.
℟. Fac cor nostrum secúndum Cor tuum.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, réspice in Cor dilectíssimi Fílii Tui, et in laudes et satisfactiónes, quas in nómine peccatórum tibi persólvit, iisque misericórdiam tuam peténtibus tu véniam concéde placátus, in nómine ejúsdem Fílii tui

Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

Litaniae Lauretanae B. Mariae Virginis.

[76] Præmittitur:

Oratio.

Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix, nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo gloriósa et benedícta.

Kýrie, eléison.	
Christe, eléison.	
Kýrie, eléison.	
Christe, audi nos.	
Christe, exáudi nos.	
Pater de cælis, Deus,	miserére nobis.
Fili Redémptor mundi, Deus,	»
Spíritus sancte, Deus,	»
Sancta Trínitas, unus Deus,	»
Sancta María,	ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix,	»
Sancta Virgo vírginum,	»
Mater Christi,	»
Mater divínæ grátiæ,	»
Mater puríssima,	»
Mater castíssima,	»
Mater invioláta,	»
Mater intemeráta,	»

Mater amábilis, ora pro nobis.
Mater admirábilis, »
Mater boni consílii, »
Mater Creatóris, »
Mater Salvatóris, »
Virgo prudentíssima, »
Virgo veneránda, »
Virgo prædicánda, »
Virgo potens, »
Virgo clemens, »
Virgo fidélis, »
Spéculum justítiæ, »
Sedes sapiéntiæ, »
Causa nostræ lætítiæ, »
Vas spirituále, »
Vas honorábile, »
Vas insígne devotiónis, »
Rosa mýstica, »
Turris Davídica, »
Turris ebúrnea, »
Domus aurea, »
Fœderis arca, »
Janua cæli, »
Stella matutína, »
Salus infirmórum, »
Refúgium peccatórum, »
Consolátrix afflictórum, »
Auxílium Christianórum, »
Regína Angelórum, »

Regína Patriarchárum, ora pro nobis.
Regína Prophetárum, »
Regína Apostolórum, »
Regína Mártyrum, »
Regína Confessórum, »
Regína Vírginum, »
Regína Sanctórum ómnium, »
Regína sine labe originàli concépta, »
Regína Sacratíssimi Rosárii, »
Regína pacis, »
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
exaudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
miserére nobis.

℣. Ora pro nobis, Sancta Dei Génitrix.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Litaniae de S. Ioseph.

[77] Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, »
Spíritus sancte, Deus, »
Sancta Trínitas, unus Deus, »
Sancta María, óra pro nobis.
Sancte Joseph, »
Proles David ínclyta, »
Lumen Patriarchárum, »
Dei Genitrícis sponse, »
Custos púdice Vírginis, »
Fílii Dei nutrítie, »
Christi defénsor sédule, »
Almæ Famíliæ præses, »
Joseph justíssime, »
Joseph castíssime, »
Joseph prudentíssime, »
Joseph fortíssime, »
Joseph obedientíssime, »
Joseph fidelíssime, »
Spéculum patiéntiæ, »
Amátor paupertátis, »
Exémplar opíficum, »

Domésticæ vitæ decus, ora pro nobis.
Custos vírginum, »
Familiárum cólumen, »
Solátium miserórum, »
Spes ægrotántium, »
Patróne moriéntium, »
Terror dæmonum, »
Protéctor sanctæ Ecclésiæ, »
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
miserére nobis.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ.
℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Orémus.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es: præsta, quæsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Art. II. – Pro Lectoribus.

[78] A) *Benedictio Panis.*

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, panis Angelórum, panis vivus ætérnæ vitæ, benedícere dignáre panem istum, sicut benedixísti quinque panes in desérto: ut omnes ex eo gustántes, inde córporis et ánimæ percípiant sanitátem: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Alia benedictio panis.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Orémus.

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, benedícere dignéris hunc panem tua sancta spirituáli benedictióne: ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis; atque contra omnes morbos, et univérsas inimicórum insídias tutámen. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, panem vivum, qui de cælo descéndit, et dat vitam et salútem mundo: et tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

[79] B) *Benedictio novorum fructuum.*

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Orémus.

Bénedic, Dómine, hos novos fructus *N.*, et præsta: ut, qui ex eis in tuo sancto nómine vescéntur, córporis et ánimæ salúte potiántur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Art. III. – Pro exorcistis.

[80] Quae in peragendis exorcismis occurrunt, videat Lector in Tit. XI *Ritualis Romani.*

Hic Titulus in tria Capita dividitur, quae sunt:

1º De exorcizandis obsessis a daemonio.
2º Ritus exorcizandi obsessos a daemonio.
3º Exorcismus in satanam et angelos apostaticos.

Alios exorcismos, qui in baptismatis collatione fiunt, aliique in facienda aqua benedicta, videat lector in *Rituali Romano* sub Titulo II, et sub Titulo VIII.

Caput II.

Pro Subdiaconis.

Art. I. – Preces propriae.

[81] Preces dicendae dum vestes sacrae, Ordinis propriae, induuntur:

a) *Ad tunicellam:* Túnica jucunditátis et induménto lætítiæ induat me Dóminus.

b) *Ad manipulum:* Merear, Dómine, portáre manípulum fletus et dolóris: ut cum exultatióne recípiam mercédem labóris.

NB. – Pro aliis vestibus sacris, vide in Capite III. Ibidem invenies preces dicendas una cum Sacerdote et Diacono in Missa sollemni.

Subdiaconus, in Missa sollemni, antequam infundat aquae guttulas in calicem, dicit ad Celebrantem: « Benedícite, Revme Pater ».

Art. II. – Preces pro recitatione Breviarii.

Preces quas opportune Subdiaconus memoria tenere debet, ut facilius Breviarii recitationem perficiat.

Ante divinum officium.

Orémus.

[82] Aperi, Dómine, os meum ad benedicéndum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab ómnibus vanis, pervérsis et aliénis co-

gitatiónibus: intelléctum illúmina, afféctum inflámma, ut digne, atténte ac devóte hoc Offícium recitáre váleam, et exaudíri mérear ante conspéctum divínæ Majestátis tuæ. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Dómine, in unióne illíus divínæ intentiónis, qua ipse in terris laudes Deo persolvísti, has tibi Horas (*vel* hanc tibi Horam) persólvo.

1. – *Ad Matutinum.*

A) Invitatorium.

[**83**] *Dicitur* Pater, Ave, Credo, *deinde:*

℣. Dómine, lábia mea apéries.

℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde.

℟. Dómine, ad adjuvándum me festína.

Glória Patri, et Fílio, et Spíritui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúja.

Sic dicitur Allelúja *ad omnes Horas, per totum annum, præter quam a Completorio Sabbati ante Septuagesimam usque ad Completorium Feriae IV Maioris Hebdomadae inclusive; tunc enim dicitur:*

Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

*Postea dicitur conveniens Invitatorium, quod ante Psalmum bis integrum recitatur, et ad singulos eiusdem Psalmi versus vel integrum vel dimidiatum ab asterisco * alternis vicibus ut infra, repetitur.*

Psalmus 94.

Veníte, exsultémus Dómino, jubilémus Deo, salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilémus ei.

Repetitur integrum Invitatorium.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Repetitur altera pars Invitatorii.

In sequenti Psalmi versu, ad verba: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum, *genuflectitur.*

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum; plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Repetitur integrum Invitatorium.

Hódie, si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exarcebatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Repetitur altera pars Invitatorii.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero

non cognovérunt vias meas: quibus jurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Repetitur integrum Invitatorium.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Repetitur altera pars Invitatorii.
Denique repetitur integrum Invitatorium.
Expleto Psalmo, dicitur Hymnus Invitatorio respondens.

B) Ante Lectiones in Nocturnis.

a) *In officio novem Lectionum.*

In I Nocturno.

[84] *Post Versum cuiuslibet Nocturni dicitur:*

Pater noster *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

Exáudi, Dómine Jesu Christe, preces servórum tuórum, et miserére nobis: Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Jube, domne, benedícere.

Extra Chorum, quando ab uno tantum recitatur Officium, ante singulas Lectiones Matutini atque ad Lectionem brevem Primae et Completorii, dicitur: Jube, Dómine, benedícere; *et subiungitur congruens Benedictio. Ab Episcopo*

autem, ultimam Matutini Lectionem cantaturo, item dicitur: Jube, Dómine, benedícere: *et respondetur a Choro:* Amen.

Pro 1. Lectione.

Benedictio: Benedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnus.

℟. Amen.

Deinde leguntur in unoquoque Nocturno Lectiones cum Responsoriis, prouti Officium occurrens requirit; atque in fine cuiuslibet Lectionis dicitur:

℣. Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

Pro 2. Lectione.

Benedictio: Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adjuváre dignétur.

℟. Amen.

Pro 3. Lectione.

Benedictio: Spíritus Sancti grátia illúminet sensus et corda nostra.

℟. Amen.

In II Nocturno.

Sub congruentibus item Antiphonis dicuntur tres Psalmi et Versus, sicut in I Nocturno.

Post Versum dicitur:

Pater noster *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

Ipsíus píetas et misericórdia nos ádjuvet, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Pro 4. Lectione.

Benedictio: Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens.

℟. Amen.

Pro 5. Lectione.

Benedictio: Christus perpétuæ det nobis gáudia vitæ.

℟. Amen.

Pro 6. Lectione.

Benedictio: Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris.

℟. Amen.

In III Nocturno.

Sub congruentibus denique Antiphonis dicuntur tres Psalmi et Versus, sicut in I et II Nocturno.

Post Versum dicitur:

Pater noster *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

A vínculis peccatórum nostrórum absólvat nos omnípotens et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Pro 7. Lectione.

Benedictio: Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio.

℟. Amen.

Pro 8. Lectione.

In Festis Domini et in Dominicis:

Benedictio: Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

In Festis Beatae Mariae Virginis:

Benedictio: Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

℟ *In Festis Sanctorum:*

Cujus (*vel* quorum *aut* quarum) festum cólimus, ipse (*vel* ipsa *aut* ipsi *vel* ipsæ) intercédat (*vel* intercédant) pro nobis ad Dóminum.

℟. Amen.

Pro 9. Lectione.

Benedictio: Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum.

Si autem legenda sit Lectio IX de Homilia cum Evangelio Dominicae, vel Feriae, aut Vigiliae:

Benedictio: Per evangélica dicta deleántur nostra delícta. Amen.

b) *In Officio trium Lectionum.*

In Nocturno.

Post Versum dicitur:

Pater noster *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

Absolutio.

Feria 2. et 5.

Exáudi, Dómine, ut in I Nocturno.

Feria 3. et 6.

Ipsíus piétas, ut in II Nocturno.

Feria 4. et Sabbato.

A vínculis, ut in III Nocturno Officii novem Lectionum.

Deinde leguntur Lectiones cum Responsoriis, prouti Officium occurrens requirit; et ante eas dicuntur sequentes

Benedictiones.

In Feriis, quando legitur Homilia cum Evangelio, erit:

1. *Benedictio:* Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio.

℟. Amen.

2. *Benedictio:* Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

℟. Amen.

3. *Benedictio:* Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

In Feriis, quando non legitur Homilia cum Evangelio, Feria II et V Benedictiones ut in I Nocturno; Feria III et VI ut in II Nocturno Officii novem Lectionum; Feria autem IV et Sabbato, erit:

1. *Benedictio:* Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.

℟. Amen.

2. *Benedictio:* Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

℟. Amen.

3. *Benedictio:* Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum.

℟. Amen.

In Festis Sanctorum, erit:

1. *Benedictio:* Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat.

℟. Amen.

2. *Benedictio:* Cujus (*vel* quorum *aut* quarum) festum cólimus, ipse (*vel* ipsa *aut* ipsi *vel* ipsæ) intercédat (*vel* intercédant) pro nobis ad Dóminum.

℟. Amen.

3. *Benedictio:* Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum.

℟. Amen.

In Officio de Sancta Maria in Sabbato Absolutio et Benedictiones, quae ibidem ponuntur.

2. – *Hymni ad horas minores.*

A) Ad Primam.

Hymnus.

[**85**] Jam lucis orto sídere,
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrænans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut cum dies abscésserit.
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne sæculum. Amen.

B) Ad Tertiam.

Hymnus.

[86] Nunc, Sancte, nobis, Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent,
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

C) Ad Sextam.

Hymnus.

[87] Rector potens verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane illúminas,
Et ígnibus merídiem:

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum,
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

D) Ad Nonam.

Hymnus.

[88] Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Succéssibus detérminans:

Largíre lumen véspere,
Quo vita nusquam décidat,
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

3. – *Suffragia et Commemorationes.*

A) Suffragium de omnibus Sanctis.

[89] *Ant.* Beáta Dei Génitrix Virgo María, Sanctíque omnes intercédant pro nobis ad Dóminum.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctos suos.
℟. Et exaudívit eos clamántes ad se.

Orémus.

A cunctis nos, quæsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis: et, intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto *N.* et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

℟. Amen.

B) Commemoratio de Cruce.

Ant. Crucifíxus surréxit a mórtuis, et redémit nos, allelúja, allelúja.

℣. Dícite in natiónibus, allelúja.

℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúja.

Orémus.

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem: concéde nobis, fámulis tuis; ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum. ℟. Amen.

Post divinum Officium.

Cum expletum fuerit Officium, laudabiliter dicitur sequens Oratio; quam devote post Officium recitantibus Summus Pontifex Leo X defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas, indulsit. Dicitur autem

flexis semper genibus in privata etiam recitatione, praeter quam ab iis, qui ob certam infirmitatis vel gravioris impedimenti causam nequeant genuflectere.

Oratio.

[**90**] Sacrosánctæ et indivíduæ Trinitáti, crucifíxi Dómini nostri Jesu Christi humanitáti, beatíssimæ et gloriosíssimæ sempérque Vírginis Maríæ fœcúndæ integritáti, et ómnium Sanctórum universitáti sit sempitérna laus, honor, virtus et glória ab omni creatúra, nobísque remíssio ómnium peccatórum, per infiníta sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

℟. Et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum.

Et dicitur secreto Pater noster *et* Ave Maria.

Appendix.

De Regulis communioribus ad quas attendi debet in redigendo Ordine divini Officii.

[**91**] Officium recitandum potest esse: *festivum* seu sollemne, *ordinarium*, *medium*, *dominicale*, *simplex*, *feriale*.

I. – Officium festivum seu sollemne.

1. Dicitur sequentibus diebus:

a) In Festis 1 Cl. privil. et per omn. horum Festor. octavas, si off. de Oct. recitetur.

b) In ceteris omn. Festis 1 vel 2 class., sed non infra eorum Octavas et in die Octavæ.

c) In Vigil. Epiph. et Pentec. (per integr. Officium); atque etiam in Vig. Nativ. Dom. (ad Laud. et per Horas tantum).

d) In Domin. infra Oct. Nativ., Epiph., Ascens. et Corporis Christi.

e) In Feria 6 post Oct. Ascens. si de ipsa Fer. fit Officium.

f) In omnibus Festis B. M. V., Ss. Angelor., S. Io. Bapt., S. Ioseph et Ss. Apostolorum.

2. Officium totum dicitur *proprium* vel de *Communi Sanctorum*: sumptis tamen ad Laudes, Horas et Complet. psalmis de Dominica ut in novo *Psalterio*.

Ad Primam loco *Confitémini* dicitur *Deus in nómine tuo* ut hucusque fiebat.

In Triduo Hebdom. Mai. item omnia dicuntur ut notatur in Breviar. sed ad Laud. dicunt. Psalmi de Fer. in 2 Schemate, excepto Cantico Sabbati S. *Ego dixi*, ut not. pr. loco.

II. – Officium ordinarium.

Quotidie dicendum in Festis ritus dupl. mai. vel min. et semidupl. ac infra Oct. et in die Oct. Fest. 1 Cl. non privilegiatis, exceptis quibusdam Fest., pro quibus Off. medium adhibetur.

1. *Ad Matutinum*:

Invitat. et Hymn. de Festo.

Antiph. cum suis psal. et versic. nocturn. *de Feria currente.*

Lection. 1 Noct. et ear. responsor. *de Script. currente.*

Lect. 2 et 3 Noct. cum suis respons. de Festo.

2. *Ad Laudes et Vesperas:*

Antiph. cum suis Psalmis de Feria.

Capit. et reliqua omnia de Festo.

3. *Ad Primam:*

Hymnus ut in *Ordinario.*

Antiph. cum suis Psalmis de Feria.

Capitulum et reliqua ut in *Ordinario.*

Lectio brevis ad Primam de Festo.

4. *Ad Tertiam Sextam et Nonam:*

Hymnus ut in *Ordinario.*

Antiph. cum suis Psalmis de Feria.

Capitulum et reliqua de Festo.

5. *Ad Completorium:*

Antiphona cum suis Psalmis de Feria.

Reliqua omnia ut in *Ordinario.*

Notanda:

a) In Off. ritus dupl. ad Matut., Laud. et Vesp. Antiph. ante et post Pss. integrae recitantur; in Off. semi-dupl. initio Psalmi Antiphonae incohantur tantum usque ad asteriscum, et in fine integrae pronuntiantur.

b) In Festis semi-dupl. extra Oct. dicuntur *Preces* ad Primam et Complet. et fit *Suffragium* ad Laud. extra Adv. et Temp. Pass.

III. – Officium medium.

Dicitur in Festis dupl. et semi-dupl. habentibus Antiph. proprias in aliqua Hora mai.: exclusis Festis de quibus agitur in praec. n. I (Offic. sollemne).

1. *In Horis maior.* habent. Antiph. propr. off. dicitur ut supra (off. sollemne).

2. *In Horis maior.* non habentibus Antiph. propr. off. dicitur ut supra (off. ordinar.).

3. *In Horis minor.* off. semper dic. ut supra (off. ordin.).

IV. – Officium dominicale.

Pro Officio Dominicae omnia dicuntur ut in *Ordinario*, *Psalterio* et *Proprio de Tempore*, haec observando:

1. In 1 Vesp. et ad Compl. omnia dicunt. de Sabb. sub ritu semi-dupl. (in Adv. Antiph. pro his Vesp. desumuntur e Laud.), Capit. et Hymnus ut in Psalt. hac die vel in Propr. de Temp. – Ad *Magnificat* Ant. pr. et Or. Dom. in Propr. de Temp.

2. *Suffragium* omitt. in Adv., Temp. Pass. et quando fit comm. Festi dupl. aut Oct. occurr. vel concurr.

3. *Preces* ad Primam et Compl. item omitt. quando facta est comm. ut supra.

4. Pariter omitt. Symbolum *Quicúmque* ad Primam quando facta est comm. de dupl. aut Oct. et in omni Dom. maior. ac Temp. Pasch. (excepta Dom. Ss. Trin.).

5. In Dominicis a Septuag. usque ad Dom. Palm. Psalm. ad Laud. sumunt. e 2 Schem. et tunc ad Primam dicunt. Psalmi *Dóminus regnávit* et *Jubiláte* loco Ps. *Confitémini.*

6. In 2 Vesp. et ad Complet. omnia dic. de Dom. usque ad Capit.; Capit. et reliqua in Ordin. vel Propr. de Temp.

V. – Officium simplex.

Omnia ut in Off. ordin. n. II excepto Matutino.

1. *Ad Matutinum:*

Invitat. et Hymn. de Festo.

Novem Antiph. cum Psalm. dic. continuatim omissis ℣. in 1 et 2 Noct. de Feria.

Absolutio ut in *Ordin.* scilicet:

Feria 2 et 5 *Exáudi* ut in 1 Noct. Off. 9 Lect.

Feria 3 et 6 *Ipsíus pietas* ut in 2 Noct.

Feria 4 et Sabb. *A vínculis* ut in 3 Noct.

Benedictiones ut in *Ordin.* scilicet:

1ª *Ille nos* etc. – 2ª *Cujus* vel *Quorum* etc. – 3ª *Ad societátem* etc.

Lectiones 1 et 2 cum ℟ ℟. de Script. occ.

Ad 2 ℟. addit. *Glória Patri;* 3 de Festo.

Et dicitur *Te Deum.*

2. *Ad Laudes*:

Antiph. et Psalmi de Fer. a Capit. de communi. Or. propria.

Notanda:

a) Sic disponitur Off. etiam in Fest. proprias habent. Antiph., quae deinceps omittentur.

b) Ad Vesp. et Laud. dic. Suffr. et ad Compl. et Primam dicunt. Preces.

c) In Oct. simpl. non dicunt. suffr. ad V. L. nec Preces ad Compl. et ad Primam.

d) Off. simplex desinit ad Nonam.

Officium B. M. V. in Sabbato.

Hoc Off. ordinatur ut Off. simplex; sed in eo Absol. et Benedictiones sunt propriae.

Ad Laud. Ant. et Pss. sunt de Sabb.; Capit. Hymn. et ℣ ut in Festis B. M. V.

Post Orat. fit Suffr. ut sequitur:

Ant. Sancti omnes intercédant pro nobis ab Dóminum.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctos suos.

℟. Et exaudívit eos clamántes ad se.

Orémus.

A cunctis nos, quæsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis; et intercedénte B. Joseph cum Bb. Apóstolis tuis, etc.

VI. – Officium feriale.

1. *Ad Matutinum:*

Invitat. et Hymn. per ann. de Feria curr. ut in Psalt.; aliis Temporibus ut in Ordinario.

Novem Antiph. cum suis Psalm. de Fer. curr. sine interrupt., idest omiss. ℣ in 1 et 2 Noct.

Absolutiones et Benedict. ut in Ordin. scilicet: Feria 2 et 5, ut in 1 Noct.:

Absol. *Exáudi, Dómine.*

Bened. *Benedictióne perp. – Unigénitus – Spíritus Sancti.*

Feria 3 et 6, ut in 2 Noct.: Absol. *Ipsíus píetas.*

Bened. *Deus Pater. – Christus perp. – Ignem sui.*

Fer. 4 et Sabb. ut in 3 Noct.: Absol. *A vínculis.*

Bened. 1ª (si legitur Hom. cum Ev.) *Evangélica léctio* (si non legitur Hom.) *Ille nos benedícat.*

2ª *Divínum aux.* – 3ª *Ad societátem.*

Lectiones et Resp. ut in Pr. de Temp.; in Vigil. Lect. de Homil. cum Respons. Fer. curr.

Te Deum dicitur tantum Temp. Pasch., excepta tamen Fer. 2 Rog.

2. *Ad Laudes et Vesperas:*

Fit suffr. extra Adv. et Temp. Pass. et

dic. Or. Dom. praec. quando propria non assignatur.

3. *Ad Horas et Completorium:*

Antiph. et Pss. ut in Psalt., Cap. et rel. ut in Ord. (off. fer.); ad Prim. et Compl. preces.

Temp. *Quadr.* et Temp. *Pass.* ad Horas min. Ant., Capit. et rel. ut in Ord. propr. loco.

In Fer. Adv., Temp. a Sept. ad Pascha, in Fer. 4 Temp. Septemb. et in Vig. per ann. ad *Laudes* dic. Ant. et Pss. ex 2 Schem. (itemque fit Fer. 4 pro 3 ult. Pss. Noct.), exceptis Vig. Nat. Dom. Epiph. et Ascens. necnon Vig. et 4 Temp. Pent.; Capit., Hymn., etc. in 1 schem. Ad *Primam* post 3 Pss. subj. 4 Ps. (1^{us} e Laud. in 1 schem. ut not. in Psalt.).

Pro recitatione Precum ferial., quae in *Ordin.* habentur, nihil est immutatum.

Festa I Class. *cum Octava privilegiata:*

I. Ordinis: Pascha, Pentecostes.

II. Ordinis: Epiphania, Corpus Christi.

III. Ordinis: Nativitas Dom., Ascensio.

Vigiliae privilegiatae:

I. Classis: Vig. Nativ. Dom. et Pent.

II. Classis: Vigilia Epiphaniae.

Dominicae Maiores:

I. Classis: Dom. 1 Adventus; 1, 2, 3 et 4 Quadrag.; Passionis, Palmarum, Paschae, in Albis, Pentecostes.

II. Classis: Dom. 2, 3 et 4 Adv., Septuag., Sexages. et Quinquag.

Feriae Maiores:

Privilegiatae: Fer. 4 Cin.; 2, 3 et 4 Mai. Hebdom.

Non privilegiatae: Feriae Adv., Quadrag. 4 Temp. Septem., 2 Rogat.

Caput III.

Pro Diaconis.

Art. I. – Preces propriae Diaconorum.

A) Ad vestes sacras.

a) *Ad dalmaticam.*

[**92**] Indue me, Dómine, induménto salútis et vestiménto lætítiæ, et dalmática justítiæ circúnda me semper.

b) *Ad stolam.*

Redde mihi, Dómine, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis; et quamvis indígnus accédo ad tuum sacrum mystérium, mérear tamen gáudium sempitérnum.

NB. – Pro aliis vestibus sacris vide sub N. 101.

B) In Missa sollemni.

a) *Diaconus Evangelium canit; sed antea, genuflexus ad altare, dicit:*

Munda cor meum ac lábia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíæ prophétæ cálculo mundásti ignító: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre.

Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde accipit librum de Altare, et petit benedictionem Sacerdotis, dicens:

Jube, domne, benedícere.

b) *Dum incensum benedicendum porrigit Sacerdoti, dicit:*

Benedícite, Reverendíssime Pater.

b) *Canit, tandem,* Ite, Missa est *vel* Benedicámus Dómino *diverso cantu, iuxta rubricas; et in Missis defunctorum canit:* Requiéscant in pace.

NB. – Quae una cum Presbytero et Subdiacono dicit in Missa sollemni, vide in capite IV.

Art. II. – Ritus servandus in administratione Sacramenti Baptismi et S. Communionis.

§ 1. – *Ritus in administratione Baptismi.*

[93] Invenitur in Rituali Romano sub Titulo II.

Hic Titulus in octo capita dividitur, quae sunt:

1. De Sacramento Baptismi rite administrando.
2. Ordo Baptismi parvulorum.
3. De Baptismo adultorum.
4. Ordo Baptismi adultorum.
5. Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum.
6. Ordo supplendi omissa super adultum baptizatum.
7. Ritus servandus, cum Episcopus baptizat.
8. Benedictio Fontis seu aquae baptismalis extra pervigilium Paschatis et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur.

In Appendice Ritualis sub titulo: « De Baptismo » habetur Benedictio Fontis seu aquae baptismalis per formulam breviorem de speciali Apostolicae Sedis indulto.

Nota. – Ad commoditatem Diaconorum, sub numero [93bis], ponitur *Ordo Baptismi Parvulorum*, p. 260.

§ 2. – *Ritus in administranda S. Communione.*

]94] Reperitur in Rituali Romano sub Titulo IV.

Hic Titulus quatuor capitibus constat, quae sunt:

1. De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.
2. Ordo administrandi S. Communionem.

3. De Communione Paschali.
4. De Communione infirmorum.

A) Ordo admiuistrandi S. Communionem.

Hic preces tantum referimus, quas Diaconus — ut Minister extraord. S. Communionis — memoriter retinere debet, ut facilius eandem S. Communionem in ecclesia fidelibus ministrare possit. Ritum et caeremonias in Rituali videat.

Post Confiteor, dicit:

Misereátur vestri omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem peccatórum vestrórum tríbuat vobis omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Deinde sumens particulam, eam elevat ad altitudinem oculorum et dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.

Deinde ter repetit:

Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanábitur ánima mea.

Dum vero porrigit communionem:

Corpus Dómini nostri Jesu Christi custódiat ánimam tuam in vitam ætérnam. Amen.

Finita communione, dum redit ad altare:

O sacrum convívium, in quo Christus súm-

tur, recólitur memória passiónis ejus, mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur.

Tempore Paschali, et per oct. Corp. Ch. additur: Allelúja.

℣. Panem de cælo præstitísti eis.

Tempore Paschali etc., ut supra:

Allelúja.

℟. Omne delectaméntum in se habéntem.

Temp. Pasch. etc., ut supra:

Allelúja.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Tempore vero Paschali:

Orémus.

Spíritum nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde; ut quos Sacraméntis Paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

In fine Sacerdos tantum, non autem Diaconus, populo benedicit, dicens:

Benedíctio Dei omnipoténtis Patris ✠ et Fílii et Spíritus Sancti, descéndat super vos, et máneat semper.

℟. Amen.

B) Ordo ministrandi S. Eucharistiam infirmis.

[95] Opportunum duximus integre hic referre ordinem ministrandi Eucharistiam infirmis, cum saepe saepius festinanter et absque necessariis commoditatibus hic ritus perfici debeat.

Ingrediens locum, ubi iacet infirmus, dicat:

℣. Pax huic dómui:

℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Tum depositum Sacramentum super mensa, supposito corporali, genuflexus adorat, omnibus in genua procumbentibus, et mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum, et cubiculum, dicens Antiphonam:

Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super nivem dealbábor.

Et primum versum Psalmi:

Miserére mei Deus, secúndum, *etc.*, *cum* Glória Patri, *etc.*

Deinde repetitur Antiphona:

Aspérges me, Dómine, *etc.*

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Exáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque deféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea, facta de more confessione generali, sive ab infirmo sive eius nomine ab alio, dicit:

Misereátur tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis perdúcat te ad vitam ætérnam.
℟. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem et remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens et miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Deinde, facta genuflexione, accipit Sacramentum de vasculo, atque illud elevans ostendit infirmo, dicens:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi: *et more solito ter dicat:* Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

Et infirmus simul cum Sacerdote (vel Diacono) dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce: tum Sac. (vel Diaconus) dans infirmo Eucharistiam dicat:

Accipe frater (*vel* soror) Viáticum Córporis

Dómini nostri Jesu Christi, qui te custódiat ab hoste malígno, et perdúcat in vitam ætérnam. Amen

Si vero Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario:

Corpus Dómini nostri Jesu Christi custódiat ánimam tuam in vitam ætérnam. Amen.

Quod si mors immineat, et periculum sit in mora, tunc dicto Misereátur, *etc., praedictis precibus omnibus vel ex parte omissis, ei statim Viaticum praebeatur.*

Postea Sacerdos (vel Diaconus) abluat digitos nihil dicens, et infirmo detur ablutio. Deinde dicat:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, te fidéliter deprecámur, ut accipiénti fratri nostro (*vel* soróri nostræ) sacrosánctum Corpus Dómini nostri Jesu Christi fílii tui, tam córpori quam ánimæ prosit ad remédium sempitérnum: qui vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit, genuflectit, surgit, et accipiens vas cum Sacramento facit cum eo signum Crucis super infirmum nihil dicens, et reverenter illud deferens, ordine quo venerat, revertitur

ad Ecclesiam, dicendo Psalmum Laudáte Dóminum de cælis, *etc.*

Cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super altare, adorat, deinde dicit:

℣. Panem de cælo præstitísti eis (Allelúja).

℟. Omne delectaméntum in se habéntem (Allelúja).

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quæsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis, *etc.*

Caput IV.

Pro Presbyteris.

[96] In *tres Articulos* dividimus hoc quartum Caput, quorum primus ea quae ad Missae celebrationem attinet, exhibet; secundus quae ad Sacramentorum Confirmationis, Poenitentiae, Extremae Unctionis et Matrimonii administrationem; tertius tandem exhibet formulas Benedictionum, quae frequentius occurrunt.

Art. I. – Circa Missam.

Vicissim hunc Articulum dividimus *in 3 paragraphos:* Ante Missam – In Missa – Post Missam.

§ 1. – *Ante Missam.*

Sacerdos antequam ad Missae celebrationem accedat, confiteatur (si opus sit); deinde preces opportunas pro « praeparatione » recitet; quas numquam omittat.

Praeparatio ad Missam sive in Missali, sive in Breviario (et Diurno) sive in aliis libris facile inveniri potest.

Attamen, ad Sacerdotum commoditatem, heic praecipuas orationes referimus, item antiphonas et psalmos, quae communiter dici solent.

PRAEPARATIO
AD SACROSANCTUM MISSAE SACRIFICIUM.

In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti, Amen.

Pater noster, Ave María *et* Credo.

Veni, Creátor Spíritus.

Ant. Ne reminiscáris * Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris (*T. P.* Allelúja).

Deinde:

Psalmus 83.

[97] Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum: * rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus * et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus: * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Glória Patri.

Psalmus 84.

[98] Benedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam:* et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus:* quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos:* et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi: * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit * et ponet in via gressus suos.

Glória Patri.

Psalmus 85.

[**99**] Inclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me: * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis, et mitis: * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam: * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine: * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum.

Quia misericórdia tua magna est super me: * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors,* pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo: et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur: * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri.

Psalmus 115: Crédidi (vide sub n. 46).

Psalmus 129: De profúndis (vide sub n. 57).

Sed in fine dicitur:

Glória Patri.

Deinde repetitur Antiphona: Ne reminiscáris.
Postea Sacerdos dicit:

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Pater noster, *secreto usque ad*
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Ego dixi, Dómine, miserére mei.
℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.
℣. Convértere, Dómine, aliquántulum.
℟. Et deprecáre super servos tuos.
℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos.
℟. Quemádmodum sperávimus in te.
℣. Sacerdótes tui induántur justítiam.
℟. Et sancti tui exsúltent.
℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine.
℟. Et ab aliénis parce servo tuo.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Aures tuæ pietátis, mitíssime Deus, ínclina précibus nostris, et grátia sancti Spíritus illúmina cor nostrum: ut tuis mystériis digne minístráre, teque ætérna charitáte dilígere mereámur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem sancti Spíritus cogitatiónes cordis

nostri: ut te perfécte dilígere, et digne laudáre mereámur.

Ure igne sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, Paráclitus, qui a Te procédit, illúminet, et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

Adsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritus Sancti: quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis.

Deus, qui corda fidélium sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de ejus semper consolatióne gaudére.

Consciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitándo purífica: ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus parátam sibi in nobis invéniat mansiónem. Qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Memento Vivorum.

I. Mei paréntum, fratrum, sorórum consanguineórum, et amicórum meórum.

II. Omnium, quibus fui gravámen, scándalum, et occásio peccándi.

III. Omnium benefactórum meórum in spirituálibus, et temporálibus.

IV. Omnium mihi commissórum in génere, et in spéeie.

V. Omnium sacerdótum, et ministrórum Ecclésiæ Dei cathólicæ.

VI. Omnium inimicórum meórum ad dimissiónem.

VII. Omnium hæreticórum, et infidélium, ad conversiónem.

VIII. Omnium, pro quibus vis, et scis me debére oráre.

Memento etiam Mortuorum.

I. Animárum, paréntum, fratrum, sorórum, consanguineórum, et amicórum meórum.

II. Animárum, quæ occasióne mei purgántur in purgatório.

III. Animárum ómnium benefactórum meórum in spirituálibus, et temporálibus.

IV. Animárum ómnium, mihi commissárum in génere, et in spécie.

V. Animárum ómnium sacerdótum, et ministrórum Ecclésiæ Dei cathólicæ.

VI. Animárum morte improvísa, corpóribus exutárum.

VII. Animárum, quarum non est speciális memória.

VIII. Animárum, misérrime existéntium in purgatório, et ómnium pro quibus vis, et scis, me debére oráre.

Declaratio intentionis.

Ego volo celebráre Missam, et confícere Corpus, et Sánguinem D. N. Jesu Christi juxta ritum sanctæ Románæ Ecclésiæ ad laudem omnipoténtis Dei, totíusque Cúriæ triumphántis, ad utilitátem meam, totíusque Cúriæ militántis, pro ómnibus, qui se commendavérunt oratiónibus meis in génere et in spécie, et pro felíci statu sanctæ Románæ Ecclésiæ. Amen.

Gáudium cum pace, emendatiónem vitæ, spátium veræ pœniténtiæ, grátiam et consolatiónem sancti Spíritus, perseverántiam in bonis opéribus, cor contrítum, et humiliátum, atque felícem vitæ meæ consummatiónem tríbuat mihi, omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Omnípotens sempitérne Deus, ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi. Accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ: immúndus ad fontem misericórdiæ: cœcus ad lumen claritátis ætérnæ: pauper et egénus, ad Dóminum cæli et terræ. Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam, quátenus meam curáre dignéris infirmitátem: laváre fœditátem: illumináre cœcitátem: ditáre paupertátem: vestíre nuditátem: ut te panem Angelórum, Re-

gem regum, et Dóminum dominántium, tanta suscípiam reveréntia et humilitáte, tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte et fide, tali propósito et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimæ meæ. Da mihi, quæso, domínici córporis et sánguinis non solum suscípere Sacraméntum, sed étiam rem et virtútem Sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi corpus unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, quod traxit de vírgine María, sic suscípere, ut córpori suo mýstico mérear incorporári, et inter ejus membra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi diléctum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, reveláta tandem fácie perpétuo contemplári. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Ad B. Mariam Virginem.

O Mater pietátis et misericórdiæ, beatíssima virgo María, ego miser et indígnus peccátor ad te confúgio toto corde et afféctu; et précor pietátem tuam, ut sicut dulcíssimo Fílio tuo in cruce pendénti adstitísti, ita et mihi mísero peccatóri, et sacerdótibus ómnibus hic et in tota sancta Ecclésia hódie offeréntibus cleménter adsístere dignéris, ut tua grátia adjúti dignam et acceptábilem hóstiam in conspéctu summæ et indivíduæ Trinitátis offérre valeámus. Amen.

Dici potest una ex septem Orationibus S. Ambrosii, quae sive in Missali sive in Breviario habentur.

[**100**] *B*) Dictis precibus, perquirat in Missali Missam diei, atque ordinet signacula.

Deinde manus lavat, dicens: « Da, Dómine, virtútem mánibus meis ad abstergéndam omnem máculam, ut, sine pollutióne mentis et córporis, váleam tibi servíre. Amen.

Calicem deinde praeparat, scilicet: *a*) ponit super os purificatorium mundum; *b*) ponit deinde patenam cum hostia integra, hanc leniter abstergens a fragmentis; *c*) patenam et hostiam palla tegit; *d*) ponit desuper velum sericum et bursam coloris paramentorum; *e*) in qua bursa sit corporale lineum mundum et bene plicatum.

Paramenta inde sumit, iisque se induit dicens:

[**101**] *Ad amictum:*

Impóne, Dómine, cápiti meo gáleam salútis ad expugnándos diabólicos incúrsus.

Ad albam:

Deálba me, Dómine, et munda cor meum, ut in sánguine Agni dealbátus gáudiis pérfruar sempitérnis.

Ad cingulum:

Præcínge me, Dómine, cíngulo puritátis et extíngue in lumbis meis humórem libídinis, ut máneat in me virtus continéntiæ et castitátis.

Ad manipulum:

Mereár, Dómine, portáre manípulum fletus

et dolóris, ut cum exultatióne recípiam mercédem labóris.

Ad stolam:

Redde mihi, Dómine, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis, et quamvis indígnus accédo ad tuum sacrum mystérium, mérear tamen gáudium sempitérnum.

Ad casulam:

Dómine, qui dixísti: *jugum meum suave est et onus meum leve*, fac ut istud portáre sic váleam quod conséquar tuam grátiam. Amen.

Pergit deinde ad altare hac ratione:

a) Cooperto capite, sinistra calicem ante pectus tenens, dextera super bursam, facit reverentiam Cruci vel Imagini in Sacrario exsistenti.

b) In limine Sacrarii signat se aqua benedicta.

c) Ad altare procedit oculis demissis, incessu gravi, ministro praecedente, et recitare potest Ps. *Miserére*, vel alias preces opportunas.

d) Ante altare maius facit reverentiam.

e) Ante locum Sacramenti genuflectit.

f) Ante altare in quo elevatur, exponitur, vel ministratur Sacramentum, genuflexus caput detegit, adorat pro temporis spatio convenienti; deinde cooperit caput, surgit, genuflectit et prosequitur.

g) Cum ad altare in quo celebraturus est pervenerit, caput detegit, profunde se inclinat (vel genuflectit si ibidem sit Sacramentum), gradus altaris adscendit, calicem deponit, extrahit corporale et super illud ponit calicem coopertum velo (dum bursam in cornu Evangelii collocat), Cruci se inclinat, missale aperit suo loco, deinde in medio altaris Cruci caput inclinat et descendit in plano ut Missae initium faciat.

§ 2. – *In Missa.*

A) Ea quae utiliter memoria retineri debent.

[**102**] Heic, ne confusionem faciamus, omnia exponemus prout in Missali sunt, sive quae *Ordinem Missae* respiciunt, sive quae in *Canone Missae* inveniuntur. Monemus autem quod non singula necessario memoriae mandanda sunt; saltem autem illa addiscenda quae, attentis coeremoniis, in libro durante actione sacrifica legi non possunt.

ORDO MISSAE.

[**103**] *Sacerdos paratus, cum ingreditur ad Altare, facta illi debita reverentia, signat se signo Crucis a fronte ad pectus, et clara voce dicit:*

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Deinde iunctis manibus ante pectus incipit Antiphonam:

Introíbo ad altáre Dei.

Ministri respondent:

℟. Ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Postea alternatim cum Ministris dicit sequentem

Psalmum 42.

Júdica me, Deus, et discérne cáusam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo et dolóso érue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulísti? et quare tristis incédo dum afflígit me inimícus?

S. Emítte lucem tuam et veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt ad adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

M. Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

S. Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus; * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

M. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

S. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto:

M. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Sacerdos repetit Antiphonam:

Introíbo ad altáre Dei.

℟. Ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Signat se, dicens:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde iunctis manibus profunde inclinatus facit Confessiónem.

In Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, omittitur Psalmus Júdica me, Deus, *cum* Glória Patri, *et repetitione Antiphonae; sed dicto* In nómine Patris, Introíbo, *et* Adjutórium, fit Confíssio, *ut sequitur:*

Confíteor Deo omnipoténti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaëli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro et Paulo, ómnibus Sanctis, et vobis, fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, verbo, et ópere: *percutit sibi pectus ter, dicens:* mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaëlem Archángelum, beátum Joánnem Baptístam, sanctos Apóstolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Ministri respondent:

Misereátur tui omnípotens Deus, et dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Sacerdos, dicit: Amen. *Et erigit se.*

Deinde Ministri repetunt Confessionem et ubi a Sacerdote dicebatur, vobis, fratres, *et* vos, fratres, *a Ministris dicitur* tibi, pater, *et* te, pater.

Postea Sacerdos, iunctis manibus, facit absolutionem, dicens:

Misereátur vestri omnípotens Deus, et dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

Signat se signo Crucis, dicens:

Indulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens, et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Et inclinatus, prosequitur:

℣. Deus, tu convérsus vivificábis nos.

℟. Et plebs tua lætábitur in te.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Et extendens, ac iungens manus, clara voce dicit: Orémus, *et ascendens ad Altare, dicit secreto:*

Aufer a nobis, quæsumus, Dómine, iniquitátes nostras: ut ad Sancta sanctórum puris mereámur méntibus introíre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde manibus iunctis super Altare inclinatus dicit:

Orámus te, Dómine, per mérita Sanctórum tuórum (*Osculatur Altare in medio*) quorum relí-

quiæ hic sunt, et ómnium sanctórum: ut indúlgere dignéris ómnia peccáta mea. Amen.

In Missa solemni, Celebrans antequam legat introitum, benedicit incensum dicens:

Ab illo bene ✠ dicáris in cujus honóre cremáberis. Amen.

Et accepto thuribulo a Diacono, incensat Altare nihil dicens. Postea Diaconus recepto thuribulo a Celebrante, incensat illum tantum.

Deinde Celebrans signans se signo Crucis, incipit introitum, quo finito, iunctis manibus alternatim cum ministris dicit:

Kýrie, eléison. Kýrie, eléison. Kýrie, eléison.
Christe, eléison. Christe, eléison.
Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison. Kýrie, eléison.

Postea in medio Altaris extendens et iungens manus, caputque aliquantulum inclinans, dicit, si dicendum est: Glória in excélsis Deo, *et prosequitur iunctis manibus. Cum dicit:* Adorámus te, Grátias ágimus tibi, *et* Jesu Christe, *et* Súscipe deprecatiónem, *inclinat caput, et in fine dicens:* Cum Sancto Spíritu, *signat se a fronte ad pectus.*

Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adorámus te. Glorificámus te. Grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam. Dómine Deus, Rex cæléstis, Deus Pater omnípotens. Dómine Fili Unigénite Jesu Christe. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi,

súscipe deprecatiónem nostram. Qui sedes ad déxteram Patris, miserére nobis. Quóniam Tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, Jesu Christe. Cum Sancto Spíritu, in glória Dei Patris. Amen.

Deinde osculatur Altare in medio, et versus ad populum dicit:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Postea dicit: Orémus, *et Orationes, unam, aut plures, ut Ordo Officii postulat. Sequitur Epistola, Graduale, et Tractus, vel* Allelúja *cum Versu aut Sequentia, prout tempus aut qualitas postulat.*

His finitis, si est Missa solemnis, Diaconus deponit librum Evangeliorium super medium Altaris, et Celebrans benedicit incensum ut supra: deinde Diaconus genuflexus ante Altare, manibus iunctis, dicit:

Munda cor meum, ac lábia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíæ Prophétæ cálculo mundásti ignito: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Postea accipit librum de Altare, et rursus genuflexus petit benedictionem a Sacerdote dicens: Jube, domne, benedícere.

Sacerdos respondet:

Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis, ut digne et competénter annúnties Evangélium suum: In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Et accepta benedictione, osculatur manum Celebrantis, et cum aliis Ministris, incenso, et luminaribus, accedens ad locum Evangelii, stans iunctis manibus, dicit: ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spírito tuo. *Et pronuntians,* Sequéntia sancti Evangélii secúndum *N., sive* Inítium, *pollice dexterae manus signat librum in principio Evangelii, quod est lecturus, deinde seipsum in fronte, ore, et pectore: et dum Ministri respondent* Glória tibi, Dómine, *incensat ter librum, postea prosequitur Evangelium iunctis manibus. Quo finito, Subdiaconus defert librum Sacerdoti, qui osculatur Evangelium, dicens:* Per evangélica dicta deleántur nostra delícta.

Deinde Sacerdos incensatur a Diacono. Si vero Sacerdos sine Diacono et Subdiacono celebrat, delato libro ad aliud cornu Altaris, inclinatus in medio, iunctis manibus dicit: Munda cor meum, *ut supra, et* Jube, domne, benedícere. Dóminus sit in corde meo et in lábiis meis, ut digne et competénter annúntiem Evangélium suum. Amen.

Deinde conversus ad librum, iunctis manibus dicit: ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo, *et pronuntians* Inítium, *sive* Sequéntia sancti Evangélii, *signat librum, et se in fronte, ore et pectore, et legit Evangelium, ut dictum est. Quo finito, respondet Minister:* Laus tibi, Christe; *et Sacerdos osculatur Evangelium, dicens:* Per Evangélica dicta, *ut supra.*

In Missis Defunctorum dicitur: Munda cor meum: *sed non petitur benedictio, non deferuntur luminaria, nec Celebrans osculatur librum.*

Deinde ad medium Altaris, extendens, elevans et iungens manus, dicit, si dicendum est: Credo in unum Deum, *et prosequitur iunctis manibus. Cum dicit:* Deum, *caput Cruci inclinat; quod similiter facit, cum dicit:* Jesum Christum, *et* simul adorátur. *Ad illa autem verba:* Et incarnátus est, *genuflectit usque dum dicatur:* Et homo factus

est. *In fine ad* Et vitam ventúri sæculi, *signat se signo Crucis a fronte ad pectus.*

Credo in unum Deum, Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri, per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salútem descéndit de cælis. (*Hic genuflectitur*). Et incarnátus est de Spíritu Sancto ex María Vírgine: Et homo factus est. Crucifíxus étiam pro nobis, sub Póntio Piláto passus et sepúltus est. Et resurréxit tértia die secúndum Scriptúras. Et ascéndit in cælum, sedet ad déxteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória judicáre vivos et mórtuos, cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum Dóminum et vivificántem, qui ex Patre Filióque procédit. Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur, qui locútus est per Prophétas. Et unam, sanctam, cathólicam, et apostólicam Ecclésiam. Confíteor unum Baptísma in remissiónem peccatórum. Et expécto resurrectiónem mortuórum. Et vitam ventúri sæculi. Amen.

Deinde osculatur Altare, et versus ad populum dicit:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Postea dicit, Orémus, *et Offertorium. Quo dicto, si est Missa solemnis, Diaconus porrigit Celebranti patenam cum Hostia; si privata, Sacerdos ipse accipit patenam cum Hostia, quam offerens, dicit:*

Súscipe, Sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hanc immaculátam hóstiam, quam ego indígnus fámulus tuus óffero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabílibus peccátis et offensiónibus et negligéntiis meis, et pro ómnibus circumstántibus, sed et pro ómnibus fidélibus christiánis vivis atque defúnctis; ut mihi et illis proficiat ad salútem in vitam ætérnam. Amen.

Deinde faciens Crucem cum eadem patena, deponit Hostiam super Corporale. Diaconus ministrat vinum, Subdiaconus aquam in Calice: vel si privata est Missa, utrumque infundit Sacerdos, et aquam miscendam in Calice benedicit, signo crucis, dicens:

Deus, qui humánæ substántiæ dignitátem mirabíliter condidísti, et mirabílius reformásti: da nobis per hujus aquæ et vini mystérium, ejus Divinitátis esse consórtes, qui humanitátis nostræ fieri dignátus est párticeps, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster: Qui tecum vivit, *etc.*

In Missis Defunctorum dicitur praedicta Oratio, sed aqua non benedicitur.

Postea accipit Calicem, et offert, dicens:

Offérimus tibi, Dómine, cálicem salutáris,

tuam deprecántes cleméntiam, ut in conspéctu divínæ majestátis tuæ, pro nostra et totíus mundi salúte cum odóre suavitátis adscéndat. Amen.

Deinde facit signum Crucis cum Calice, et illum ponit super Corporale, et palla cooperit; tum iunctis manibus super Altare, aliquantulum inclinatus, dicit:

In spíritu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine, et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

Erectus expandit manus, easque in altum porrectas iungens, elevatis ad caelum oculis, et statim demissis, dicit:

Veni, sactificátor omnípotens ætérne Deus: *Benedicit oblata, prosequendo:* et béne ✠ dic hoc sacrifícium tuo sancto nómini præparátum.

Postea si solemniter celebrat, benedicit incensum, dicens:

Per intercessiónem beáti Micháëlis Archángeli stantis a dextris altáris incénsi, et ómnium electórum suórum, incénsum istud dignétur Dóminus bene ✠ dícere, et in odórem suavitátis accípere. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et accepto thuribulo a Diacono, incensat oblata, modo in Rubricis generalibus praescripto, dicens:

Incénsum istud, a te benedíctum, ascéndat ad te, Dómine, et descéndat super nos misericórdia tua.

Deinde incensat Altare, dicens:

Psalmus 140, 2-4.

Dirigátur, Dómine, orátio mea, sicut incénsum in conspéctu tuo: elevátio manuum meárum sacrifícium vespertínum. Pone, Dómine, custódiam ori meo, et óstium circumstántiæ lábiis meis: ut non declínet cor meum in verba malítiæ, ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Dum reddit thuribulum Diacono, dicit:

Accéndat in nobis Dóminus ignem sui amóris, et flammam ætérnæ charitátis. Amen.

Postea incensatur Sacerdos a Diacono, deinde alii per ordinem. Interim Sacerdos lavat manus, dicens:

Psalmus 25, 6-12.

Lavábo inter innocéntes manus meas: * et circúmdabo altáre tuum, Dómine:

Ut áudiam vocem laudis, * et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuæ, * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam,* et cum viris sánguinum vitam meam:

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: * rédime me et miserére mei.

Pes meus stetit in dirécto: * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculórum. Amen.

In Missis pro Defunctis, et Tempore Passionis, in Missis de Temp. omittitur Glória Patri. *Deinde aliquantulum inclinatus in medio Altaris, iunctis manibus super eo, dicit:*

Súscipe, sancta Trínitas, hanc oblatiónem, quam tibi offérimus ob memóriam passiónis, resurrectiónis, et ascensiónis Jesu Christi Dómini nostri: et in honórem beátæ Maríæ semper Vírginis, et beáti Joánnis Baptístæ, et sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, et istórum, et ómnium Sanctórum: ut illis proficiat ad honórem, nobis autem ad salútem: et illi pro nobis intercédere dignéntur in cælis, quorum memóriam ágimus in terris. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Postea osculatur Altare, et versus ad populum, extendens et iungens manus, voce paullulum elevata dicit:

Oráte, fratres: ut meum ac vestrum sacrifícium acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.

Minister seu circumstantes respondent: alioquin ipsemet Sacerdos:

Suscípiat Dóminus sacrifícium de mánibus tuis (*vel* meis) ad laudem, et glóriam nóminis sui,

ad utilitátem quoque nostram, totíusque Eccléſiæ suæ sanctæ.

Sacerdos submissa voce dicit:

Amen.

Deinde manibus extensis absolute sine Orémus, *subiungit Orationes secretas. Quibus finitis, cum pervenerit ad conclusionem, clara voce dicit:* Per ómnia sæcula sæculórum, *cum Praefatione, ut in sequentibus.*

Praefatio incipitur ambabus manibus positis hinc inde super Altare: quas aliquantulum elevat, cum dicit: Sursum corda. *Iungit eas ante pectus, et caput inclinat, cum dicit:* Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Deinde disiungit manus, et disiunctas tenet usque ad finem Praefationis: qua finita, iterum iungit eas, et inclinatus dicit: Sanctus. *Et cum dicit:* Benedíctus, qui venit, *signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.*

℣. Per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Nota: Hic ponitur tantum Praefatio communis — *De Praefationibus diximus iam pag. 12 huius secundi voluminis* — *ut* Ordo Missæ *quodammodo compleatur.*

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere:

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cæli, cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítti júbeas, deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Canon Missae.

[104] *Finita Praefatione, Sacerdos extendens, elevans aliquantulum et iungens manus, elevansque ad caelum oculos, et statim demittens, profunde inclinatus ante Altare, manibus super eo positis, dicit:*

Te ígitur, clementíssime Pater, per Jesum Christum Fílium tuum Dóminum nostrum, súpplices rogámus ac pétimus, *Osculatur Altare, et iunctis manibus ante pectus, dicit:* ut accépta hábeas, et benedícas, *Iungit manus, deinde signat ter super oblata,* haec ✠ dona, hæc ✠ múnera, hæc ✠ sancta sacrifícia illibáta, *Extensis manibus prosequitur:* in primis quæ tibi offérimus pro Eccléstia tua sancta cathólica: quam pacificáre, custodíre, adunáre, et régere dignéris toto orbe terrárum: una cum fámulo tuo Papa nostro *N.*

et Antístite nostro *N.* et ómnibus orthodóxis, atque cathólicæ et apostólicæ fídei cultóribus.

Commemoratio pro vivis.

Meménto, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum *N.* et *N.*, *Iungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit: deinde manibus extensis prosequitur*: et ómnium circumstántium, quorum tibi fides cógnita est, et nota devótio: pro quibus tibi offérimus, vel qui tibi ófferunt hoc sacrifícium laudis, pro se suísque ómnibus, pro redemptióne animárum suárum, pro spe salútis et incolumitátis suæ; tibíque reddunt vota sua ætérno Deo, vivo et vero.

Infra actionem.

Communicántes, et memóriam venerántes in primis gloriósæ semper Vírginis Maríæ genitrícis Dei et Dómini nostri Jesu Christi: Sed et beatórum Apostolórum ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis et Thaddæi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Laurentii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni, et ómnium Sanctórum tuórum, quorum méritis precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio.

Iungit manus.

Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quæsumus, Dómine, ut placátus accípias: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári.

Iungit manus.

Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quæsumus, *Signat ter super oblata,* bene ✠ díctam, adscrí ✠ ptam, ra ✠ tam, rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris: *Signat semel super Hostiam,* ut nobis Cor ✠ pus, *et semel super Calicem,* et San ✠ guis fiat dilectíssimi Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi.

Qui prídie quam paterétur, *Accipit Hostiam,* accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, *Elevat oculos ad caelum,* et elevátis óculis in cælum, ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, *Caput inclinat,* tibi grátias agens, *Signat super Hostiam,* bene ✠ díxit, fregit, dedítque discípulis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

Tenens ambabus manibus Hostiam inter indices et pollices, profert verba consecrationis secrete, distincte, et attente super Hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandae.

Hoc est enim Corpus meum.

Quibus verbis prolatis, statim Hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit, ostendit populo, reponit super Corporale, et genuflexus iterum adorat: nec amplius pollices et indices disiungit, nisi quando Hostia tractanda est usque ad ablutionem digitorum.

Tunc detecto Calice, dicit:

Símili modo postquam cœnátum est, *Ambabus manibus accipit Calicem*, accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas; item tibi grátias agens, *Sinistra tenens Calicem, dextera signat super eum*, bene ✠ díxit, deditque discípulis suis dicens: Accípite et bibíte ex eo omnes.

Profert verba consecrationis super Calicem, attente continuate, et secrete, tenens illum parum elevatum.

Hic est enim Calix Sánguinis mei, novi et ætérni testaménti: mystérium fídei: qui pro vob:s et pro multis effundétur in remissiónem peccatórum.

Quibus verbis prolatis, deponit Calicem super Corporale, et dicens secrete:

Hæc quotiescúmque fecerítis, in mei memóriam faciétis.

Genuflexus adorat, surgit, ostendit populo, deponit, cooperit, et genuflexus iterum adorat. Deinde disiunctis manibus dicit:

Unde et mémores, Dómine, nos servi tui sed et plebs tua sancta, ejúsdem Christi Fílii tui

Dómini nostri tam beátæ passiónis, necnon et ab ínferis resurrectiónis, sed et in cælos gloriósæ ascensiónis: offérimus præcláræ majestáti tuæ de tuis donis ac datis, *Iungit manus et signat ter super Hostiam etiam et Calicem simul*, Hóstiam ✠ puram, Hóstiam ✠ sanctam, Hóstiam ✠ immaculátam, *Signat semel super Hostiam, dicens:* Panem ✠ sanctum vitæ ætérnæ, *et semel super Calicem, dicens*: et Cálicem ✠ salútis perpétuæ.

Extensis manibus prosequitur:

Supra quæ propítio ac seréno vultu respícere dignéris, et accépta habére, sícuti accépta habére dignátus es múnera pueri tui justi Abel, et sacrifícium Patriárchæ nostri Abrahæ, et quod tibi óbtulit summus sacérdos tuus Melchísedech, sanctum sacrifícium immaculátam hóstiam.

Profunde inclinatus iunctis manibus et super Altare positis, dicit:

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: jube hæc perférri per manus sancti Angeli tui in sublíme altáre tuum, in conspéctu divínæ majestátis tuæ: ut quotquot, *Osculatur Altare*, ex hac altáris participatióne, sacrosánctum Fílii tui, *Iungit manus, ei signat semel super Hostiam et semel super Calicem*, Cor ✠ pus, et Sán ✠ guinem sumpsérimus, *Seipsum signat*, omni benedictióne cælésti, et grátia repleámur. Per eumdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Commemoratio pro defunctis.

Meménto étiam, Dómine, famulórum, famularúmque tuarum *N.* et *N.*, qui nos præcessérunt cum signo fídei, et dórmiunt in somno pacis.

Iungit manus, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit, deinde extensis manibus prosequitur:

Ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus, locum refrigérii, lucis, et pacis, ut indúlgeas, deprecámur.

Iungit manus, et caput inclinat, dicens:

Per eumdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Manu dextera percutit sibi pectus, elata aliquantulum voce dicens:

Nobis quoque peccatóribus, *Extensis manibus ut prius, secrete prosequitur:* fámulis tuis, de multitúdine miseratiónum tuárum sperántibus, partem áliquam, et societátem donáre dignéris cum tuis sanctis Apóstolis et Martýribus: cum Joánne, Stéphano, Mathía, Bárnaba, Ignátio, Alexándro, Marcellíno, Petro, Felicitáte, Perpétua, Agatha, Lúcia, Agnéte, Cæcília, Anastásia, et ómnibus Sanctis tuis: intra, quorum nos consórtium, non æstimátor mériti, sed véniæ, quæsumus, lárgitor, admítte.

Iungit manus.

Per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc omnia, Dómine, semper bona creas, *Signat ter super Hostiam, et Calicem simul dicens:* sanctí ✠ ficas, viví ✠ ficas, bene ✠ dícis et præstas nobis.

Discooperit Calicem, genuflectit, accipit Hostiam inter pollicem et indicem manus dexterae, et tenens sinistra Calicem, cum Hostia signat ter a labio ad labium Calicis, dicens:

Per ip ✠ sum, et cum ip ✠ so, et in ip ✠ so, *Cum ipsa Hostia signat bis inter se et Calicem, dicens:* est tibi Deo Patri ✠ omnipoténti, in unitáte Spíritus ✠ Sancti, *Elevans parum Calicem cum Hostia, dicit:* omnis honor et glória.

Reponit Hostiam, Calicem Palla cooperit, genuflectit, surgit et dicit intelligibili voce, vel cantat:

Per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Iungit manus.

Orémus. Præcéptis salutáribus móniti, et divína institutióne formáti, audémus dícere:

Extendit manus.

Pater noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

Sacerdos secrete dicit: Amen.

Deinde manu dextera accipit inter indicem et medium digitos Patenam, quam tenens super Altare erectam, dicit secrete:

Líbera nos, quæsumus, Dómine, ab ómnibus malis prætéritis, præséntibus, et futúris: et intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque Andréa, et ómnibus Sanctis, *Signat se cum Patena a fronte ad pectus*, da propítius pacem in diébus nostris: *Patenam osculatur*, ut ope misericórdiæ tuæ adjúti, et a peccáto simus semper líberi, et ab omni perturbatióne secúri.

Submittit Patenam Hostiae, discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Hostiam, et eam super Calicem tenens utraque manu, frangit per medium, dicens:

Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Et mediam partem, quam in dextera manu tenet, ponit super Patenam. Deinde ex parte, quae in sinistra remansit, frangit particulam, dicens:

Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Aliam mediam partem quam in sinistra manu habet, adiungit mediae super Patenam positae, et particulam parvam dextera retinens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam tenet, dicit intelligibili voce, vel cantat:

Per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Cum ipsa particula signat ter super Calicem dicens:

Pax ✠ Dómini ✠ sit semper vobís ✠ cum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Particulam ipsam immittit in Calicem, dicens secrete:

Hæc commíxtio et consecrátio Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam. Amen.

Cooperit Calicem, genuflectit, surgit, et inclinatus Sacramento iunctis manibus, et ter pectus percutiens intelligibili voce dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, dona nobis pacem.

In Missis Defunctorum non dicitur miserére nobis, *sed eius loco,* dona eis réquiem, *et in tertio additur* sempitérnam.

Deinde iunctis manibus super Altare, inclinatus dicit secrete sequentes Orationes:

Dómine Jesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis: pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: ne respícias peccáta mea, sed fidem Ecclésiæ tuæ: eamque secúndum voluntátem tuam pacificáre, et coadunáre dignéris: qui vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Si danda est pax osculatur Altare, et dans pacem dicit

Pax tecum.

℟. Et cum spíritu tuo.

In Missis Defunctorum non datur pax, neque dicitur praecedens Oratio.

Dómine Jesu Christe, Fili Dei vivi qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: líbera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sánguinem tuum ab ómnibus iniquitátibus meis, et univérsis malis: et fac me tuis semper inhærére mandátis, et a te nunquam separári permíttas: Qui cum eodem Deo Patre, et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculórum. Amen.

Percéptio Córporis tui, Dómine Jesu Christe, quod ego indígnus súmere præsúmo, non mihi provéniat in judícium et condemnatiónem: sed pro tua pietáte prosit mihi ad tutaméntum mentis et córporis, et ad médelam percipiéndam: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Genuflectit, surgit et dicit:

Panem cæléstem accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Deinde parum inclinatus, accipit ambas partes Hostiae inter pollicem et indicem sinistrae manus, et Patenam inter eumdem indicem et medium supponit, et dextera tribus vicibus percutiens pectus, elevata aliquantulum voce, dicit ter devote et humiliter:

Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

Postea dextera se signans cum Hostia super Patenam, dicit:

Corpus Dómini nostri Jesu Christi custódiat ánimam meam in vitam ætérnam. Amen.

Et se inclinans, reverenter sumit ambas partes Hostiae: quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale, et erigens se iungit manus et quiescit aliquantulum in meditatione Sanctissimi Sacramenti.

Deinde discooperit Calicem, genuflectit, colligit fragmenta si quae sint, extergit Patenam super Calicem, interim dicens:

Quid retríbuam Dómino pro ómnibus, quæ retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo. Laudans invocábo Dóminum, et ab inimícis meis salvus ero.

Accipit Calicem manu dextera, et eo se signans, dicit:

Sanguis Dómini nostri Jesu Christi custódiat ánimam meam in vitam ætérnam. Amen.

Et sinistra supponens Patenam Calici, reverenter sumit totum Sanguinem cum particula. Quo sumpto, si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet. Postea dicit:

Quod ore súmpsimus, Dómine, pura mente capiámus: et de múnere temporáli fiat nobis remédium sempitérnum.

Interim porrigit Calicem ministro, qui infundit in eo parum vini, quo se purificat: deinde prosequitur:

Corpus tuum, Dómine, quod sumpsi, et Sanguis quem potávi, adhæreat viscéribus meis: et præsta; ut in me non remáneat scélerum má-

cula, quem pura et sancta refecérunt Sacraménta: Quis vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Abluit et extergit digitos, ac sumit ablutionem: extergit os et Calicem, quem, plicato Corporali, operit et collocat in Altari, ut prius: deinde prosequitur Missam.

Dicto, post ultimam Orationem,

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo, *dicit pro Missae qualitate, vel* Ite, Missa est, *vel* Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

In Missis defunctorum dicit:

Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Dicto Ite, Missa est, *vel* Benedicámus Dómino, *Sacerdos inclinat se ante medium Altaris, et manibus iunctis super illud, dicit secrete:*

Pláceat tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ, et præsta, ut sacrifícium, quod óculis tuæ majestátis indígnus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihíque, et ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde osculatur Altare: et elavatis oculis, extendens, elevans, et iungens manus, caputque Cruci inclinans, dicit Benedicat vos omnípotens Deus, *et versus ad populum semel tantum benedicens, etiam in Missis solemnibus, prosequitur:* Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

In Missa Pontificali ter benedicitur ut in Pontificali habetur.

Deinde Sacerdos in cornu Evangelii, iunctis manibus dicit:

℣. Dómibus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Et signans signo crucis primum Altare, vel librum, deinde se in fronte, ore et pectore, dicit:

Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Vel si aliud Evangelium legendum sit:

Sequéntia sancti Evangélii, *etc.*
℟. Glória tibi, Dómine.

Iunctis manibus prosequitur:

Joann. 1, 1-14.

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes credérent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt.

Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his, qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. *Genuflectit dicens:* ET VERBUM CARO FACTUM EST. *Et surgens prosequitur:* et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quas Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

℟. Deo grátias.

In Missis Defunctorum non datur benedictio, sed dicto Requiéscant in pace, *dicit:* Placéat tibi sancta Trínitas: *deinde osculato Altari, legit Evangelium sancti Ioannis.*

Finito Evangelio sancti Ioannis, discedens ab Altari, pro gratiarum actione dicit Antiphonam Trium puerórum, *cum reliquis, ut habetur in principio Missalis.*

Preces iussu Pp. Leonis XIII in omnibus Orbis ecclesiis post privatae Missae celebrationem flexis genibus recitandae.

Sacerdos ter dicat cum populo: Ave María; *deindè:*

Salve, Regína, mater misericórdiæ, vita, dulcédo, et spes nostra salve. Ad te clamámus éxules fílii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrymárum valle. Eja ergo advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis virgo María.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix,
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Deus, refúgium nostrum et virtus, pópulum ad te clamántem propítius réspice: et intercedénte gloriósa et immaculáta Vírgine Dei Genitríce María cum Beáto Joseph Ejus Sponso, ac beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo et ómnibus Sanctis, quas pro conversióne peccatórum, pro libertáte et exaltatióne Sanctæ Matris Eccléśiæ, preces effúndimus, miséricors et benígnus exáudi. Per eumdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Addatur invocatio: Sancte Michaël Archángele, defénde nos in prælio, contra nequítiam et insídias diáboli esto præsídium. *Imperet* illi *Deus:* súpplices deprecámur: tuque, Princeps milítiæ cæléstis, Sátanam aliósque spíritus malígnos, qui ad perditiónem animárum pervagántur in mundo, divína virtúte in inférnum detrúde. Amen. [1]

Deinde ter dicitur:

Cor Jesu Sacratíssimum, miserére nobis.

---

[1] Sanctissimus Dominus Noster Leo Pp. XIII omnibus preces, ut supra, recitantibus tercentum dierum indulgentiam largitur.

[105] *B*) Brevis synopsis Caeremoniarum Missae privatae.

I. – VOX

Clara:

1. Ad ea quae dicuntur ad gradum Altaris.
2. Ad ea quae in sollemni cantantur: excipe a *Sanctus* ad Canonem.
3. Ad *Benedicat vos omnipotens Deus*, etc.
4. Ad ultimum Evangelium.

Media:

1. Ad *Orate fratres.*
2. A *Sanctus* ad Canonem.
3. Ad *Nobis quoque peccatoribus.*
4. Ad *Domine non sum dignus.*

Secreta in reliquis.

II. – PERCUTIT PECTUS

1. Ad *mea culpa* in Confessione, ter.
2. Ad *Nobis quoque peccatoribus.*
3. Ad *Miserere nobis* et *Dona nobis pacem* ad *Agnus Dei*, nisi sit Missa Defunctorum.
4. Ad *Domine non sum dignus*, ter.

III. – OSCULATUR

Altare:

1. Ad *quorum reliquiae hic sunt.*
2. Ante *Dominus vobiscum*, *Orate fratres* et *Benedicat vos.*

3. Ad *uti accepta habeas.*
4. Ad *Ex hac altaris participatione.*

Librum:

Lecto primo Evangelio, nisi sit de Requie.

Patenam:

Dicturus: *Ut ope misericordiae tuae*, etc.

IV. — MANUS

Iunctae ante pectus:

1. Ab initio usque ad *Gloria* inclusive: excipe dum signat, percutit pectus, dicit *Oremus* et osculatur altare.
2. Cum vertit se ad populum vel graditur.
3. In conclusione orationum *Per D. N. Iesum Christum*, vel *In unitate.*
4. Dicens *Munda cor meum* et *Dominus vobiscum* ante utrumque Evangelium.
5. Legens utrumque Evangelium.
6. Recitans Symbolum.
7. Legens Offertorium.
8. Dicens *Gratias agamus* in Praefatione.
9. A *Sanctus* ad *Benedictus qui.*
10. Orans in utroque *Memento.*
11. Ab *Oremus praeceptis*, etc., ad *Pater noster.*
12. Ad *Agnus Dei*, etc., usque ad primam pect. percuss. In Missa Defunctorum usque ad ultimum *Agnus* inclusive.

13. Ad antiphonam *Communio.*

14. Ad *Ite Missa est,* etc., vel *Benedicamus* etc. aut *Requiescant,* etc.

15. Cum aliquid est benedicturus.

Iunctae super altare:

1. Ad *Oramus te Domine,* etc.
2. Ad *In spiritu humilitatis,* etc.
3. Ad *Suscipe S. Trinitas,* etc.
4. Ad *Te igitur clementissime,* etc.
5. Ad *Supplices te rogamus,* etc.
6. Ad orationes ante sumptionem.
7. Ad *Placeat tibi S. Trinitas,* etc.

Extensae ante pectus:

1. Ad orationes quae dicuntur sine inclinatione.
2. In Praefat. a *Vere dignum* ad *Sanctus.*
3. Ab *In primis,* etc., ad *Memento.*
4. Ab *Et omnium circumstantium,* etc., ad *Per eundem,* etc.
5. Ab *Unde et memores,* etc., ad *de tuis donis ac datis.*
6. A *Supra quae,* etc., ad *Supplices te,* etc.
7. Post *Nobis quoque peccatoribus.*
8. Ad totam Orationem Dominicam.

Extensae super altare:

1. Quoties illud osculatur; vel genuflectit.
2. Ad *Per omnia saecula,* etc., et *Dominus vobiscum* in Praef.

3. Ad *Per omnia saecula*, etc., ante *Praeceptis*, etc.

Super, vel tenendo librum:

Ad Epist., Grad., Tract. et Sequent.

Extendendae et iungendae ante pectus:

1. Ad *Oremus* ante *Aufer*, et Offert.
2. Ad *Dominus vobiscum* versus populum.
3. Ad *Orate fratres.*
4. Ad *Veni Sanctificator.*

Extendendae, iungendae et statim extendendae:

Ad *Oremus* ante orationes in cornu Epistolae.

Elevandae:

Ad *Sursum corda.*

Extendendae elevandae et statim iungendae ante pectus:

1. Ad *Gloria in excelsis.*
2. Ante *Te igitur.*
3. Ad *Credo in unum Deum.*
4. Ad *Benedicat vos*, etc.

Elevandae ante pectus vel faciem et iungendae:

1. In utroque *Memento.*
2. Post hostiae sumptionem.

V. — GENUFLECTIT

1. Accedens, recedens et rediens ad gradum altaris ut Missam incipiat, si in eo sit Sacramentum.

2. Quoties in Missali notatur.

3. Dum ipsemet dicit: *Flectamus genua.*
4. Ad *Incarnatus est* in Symbolo.
5. Ante et post contrectationem Sacramenti.
6. Ad *Verbum caro*, etc., in Ev. S. Ioan.
7. Statim post consecrat. oblatarum genuflectit, adorat.

VI. – INCLINAT

Profunde:

1. Accedens, recedens et rediens ad gradum altaris ut Missam incipiat.
2. Ad *Confiteor* donec incipiatur a ministro.
3. Ad *Munda cor meum*, etc.
4. Ad *Te igitur*, etc.
5. Ad *Supplices te rogamus*, etc.

Medie:

1. A *Deus tu conversus;* ad *Oremus.*
2. Ad *Oramus te Domine*, etc.
3. Ad *In spiritu humilitatis*, etc.
4. Ad *Suscipe S. Trinitas*, etc.
5. A *Sanctus* ad *Benedictus.*
6. Ad Orationes ante sumptionem.
7. Ad *Domine non sum dignus*, etc.
8. Ad sumptionem hostiae.

Infime:

1. Accedens et recedens a medio altaris.
2. Ad *Gloria Patri*, etc.
3. In hymno Angelorum: 1 *Deo*, 2 *Adoramus*

3 *Gratias* etc., 4 *Iesu Christe*, 5 *Suscipe*, etc., 6 iterum *Iesu Christe.*

4. Ad *Oremus* ante Orationes, Offertorium et *Praeceptis salut.*, etc.

5. Ad Nomen Iesu, Mariae, Sancti de quo fit Missa aut commem. et Papae

6. In Symbolo: 1. *In unum Deum*, 2. *Iesum Chr.*, 3. *Simul adoratur.*

7. In Praef., dum dicit *Deo nostro.*

8. Dum orat in utroque *Memento.*

9. Ad *tibi gratias agens* ante utramque consecrat.

10. Ad verba utriusque consecr., cubitis super alt. positis.

11. Ad *Per eumdem Christum*, etc., in conclus. secundi *Memento.*

12. Ad *Agnus Dei*, etc.

13. Ad *Placeat tibi S. Trinitas*, etc.

14. Ad *Omnipotens Deus* ante Bened.

15. Ad *Humiliate capita vestra Deo.*

VII. — OCULI

Demittendi:

1. Cum graditur per Ecclesiam.
2. Cum vertitur ad populum.
3. Cum orat in *Memento* vivorum.

Elevandi:

1. Ante *Munda cor meum.*
2. Ante *Suscipe S. Trinitas.*

3. Ante *Suscipe Sancte Pater.*
4. Dum dicit totum *Offerimus*, etc.
5. Dicens: *Veni sanctificator*, etc.
6. Dicens: *Deo nostro* in Praef.
7. Ante *Te igitur.*
8. Dicens: *Et elevatis oculis*, etc.
9. Ante *Benedicat vos.*

Defigendi in Sacramentum:

1. Ad utramque elevat.
2. Dum orat in *Memento* mortuor.
3. Dum recitat Orat. Domin.
4. Ad orationes ante sumption.
5. Cum Sacram. contrectat.

VIII. – CUM SIGNAT SEIPSUM

1. Sinistram ponit infra pectus;
2. Dexterae palmam ad se vertit,
3. (omnibus digitis iunctis et extensis):
4. A fronte ad pectus, ab humero sinistro ad dexterum format signum crucis.

IX. – CUM SIGNAT OBLATA VEL ALIA

1. Sinistram ponit super altare vel librum, cum est ad altare; secus supra se;
2. Totam dexteram extendit,
3. (omnibus digitis pariter iunctis et extensis):
4. Parvum digitum vertit rei benedicendae.

Haec in omni benedictione nisi aliter notetur.

X. – SIGNAT

Seipsum:

1. Initio Missae ad: *In nomine Patris*, etc.
2. Ad *Adiutorium nostrum*, etc.
3. Ad *Indulgentiam, absolutionem*, etc.
4. Ad introitum, nisi Missa sit Deff.
5. In fine *Gloria: Cum Sancto Spir.*
6. In fine *Credo: Et vitam venturi*, etc.
7. Post *Sanctus: Benedictus qui venit*, etc.
8. In Canone: *Omni benedictione.*
9. Ad *Da propitius pacem*, cum patena.
10. Ante sumption. hostiae: *Corpus D. N. I. C.* cum hostia.
11. Ante sumption. calicis: *Sanguis D. N.* cum calice.
12. Ante utrumque Evang. pollice in fronte, ore et pectore.

Librum:

1. Manu ad Introit. in Miss. Deff.
2. Pollice initio utriusque Evang.

Oblata communiter:

1. Ad *Benedic hoc sacrificium.*
2. Ad *Haec dona, haec munera*, etc. ter.
3. Ad *Benedictam, adscriptam*, etc. ter.
4. Ad *Hostiam puram, hostiam*, etc. ter.
5. Ad *Sanctificas, vivificas*, etc. ter.

Hostiam, deinde calicem:

1. Dicens: *Ut nobis corpus et sanguis*, etc.
2. Dicens: *Panem sanctum vitae aet.*
3. Dicens: *Corpus et sanguinem sumpserimus.*

Hostiam tantum:

Ad *Qui pridie* etc. dicens: *Benedixit.*

Calicem tantum:

1. Ad *Simili modo* dicens: *Benedixit.*
2. Ad *Per ipsum*, etc. ter cum hostia.
3. Ad *Pax Domini*, etc. ter cum partic. hostiae.

Super corporale:

1. Post hostiae oblationem, ut deponat cum patena.
2. Post *Offerimus* cum calice ut deponat.
3. Ad *Est tibi Deo Patri* etc. bis cum hostia inter calicem et pectus.

Aquam:

Ad *Deus qui humanae*, etc. nisi Missa sit Deff.

Populum:

In fine Missae ad Benedictionem.

IN MISSIS DEFUNCTORUM.

1. Psalm. *Iudica me Deus* et *Gloria* omitt.
2. Ad Intr. non signat se, sed libr.
3. Loco *Gloria* repetit: *Requiem.*
4. *Gloria in excelsis* et *Alleluia* omitt.

5. Benedictio, dicto *Munda cor*, etc., omitt.
6. Osculum libri et *Per evangelica dicta*, etc. omitt.
7. *Credo* omitt.
8. Benedictio aquae ad: *Deus qui humanae*, etc., omitt.
9. *Gloria Patri* in fine: *Lavabo* omitt.
10. Ad *Agnus Dei* dicitur: *Dona eis requiem*, et tertio additur *sempiternam*.
11. Et non percutit pectus.
12. Prima oratio post *Agnus Dei* omitt.
13. Non datur pax.
14. Loco *Ite Missa* dicit: *Requiescant*, etc.
15. Et Benedictio in fine Missae omitt.

C) Ritus mutabiles in celebratione Missae.

I. – De Missa dicenda.

1. Missa:

Celebrari potest vel *iuxta* vel *extra* Ordinem Officii recitati.

a) *Iuxta* Ordinem, scilicet de Festo (dupl., semi-dupl. vel simpl.), de Domin., de Feria, de Vigilia, vel de Octava.

b) *Extra* Ordinem, nempe de Feria, de Vigilia, vel Votiva, vel ritu festivo, vel pro Defunctis.

2. Psalmus *Iudica:*

Nunquam omittitur nisi in Missis deff. et temp. pass. in Missis de Temp.

Item *Gloria Patri* ad Introitum et ad *Lavabo*.

3. Gloria in excelsis:

Dicitur: *a*) Quoties in Off. correspond. dictum est *Te Deum*.

b) Fer. 5 in Coena Dom.

c) In Missa de B. Maria V. in Sabbato.

d) In Missis Vot. de Ang., de SS. Corde Iesu tantummodo prima feria VI cuiusvis mensis et sollemnibus pro re gravi, dummodo non dicantur cum paramentis violaceis.

4. Orationes a rubrica praescriptae:

a) In duplic. praeter Or. dicuntur etiam, si quae sint, commem. quae ad Laudes.

b) In semi-dupl. et feriis mai. ac vigil. (exceptis Nativ. et Pentec.) dicuntur Or. quae ad Laud. Si eis non impleatur num. ternar. adduntur pro temp. una vel duae, ut saltem dicantur tres.

In Domin. infra Oct. vel in quibus commem. fit de dupl. et in Feriis a Dom. Pass. ad Fer. 5 in coena Dom. omitt. tertia Oratio.

c) In simplic. feriis per annum ac Votivis dicunt. tres Orat., vel etiam plures, modo servetur numeri imparitas.

d) Oratio *Fidelium* dicitur, penultimo loco:

– Extra Adv. Quadrag. et Temp. pasch. *prima die cuiusque mensis* non impedita off. dupl. vel semi-dupl.

– Extra Quadr. et Temp. pasch. ac Vigil.,

feria secunda cuiusque hebdom. non impedita off. dupl. vel semi-dupl.

e) In omn. Missis cant. coram SS. Sacram. fit commem. de eo post Or. de rubr. et ante Or. de mandato Episc.

f) In Missa priv. celebrata in Eccl. ubi SS. Sacram. est exposit. commemoratio de eo fieri potest: modo non sit Festum 1 vel 2 Classis.

g) In annivers. propriae ordin., a die fixa mensis computando, cuilibet celebranti licet addere orationibus a rubr. praescr. orationem *pro seipso sacerdote*, praeter quam in dupl. 1 Cl., Vig. Nativit. et Pentec. ac Domin. Palmar.

5. Collectae seu Orat. ab Episc. imperatae:

a) Nequeunt esse plures quam duae; numquam sub unica concl. cum Orat. Missae adiunguntur; et ponunt. post Or. a rubr. praescriptas.

b) Omitti debent:

α) In duplicib. 1 et 2 Classis.

β) In Domin. mai., in Fer., Vigil. et Oct. privileg.

γ) In Missis Vot. pro re gravi vel ad instar sollemn. celebratis.

δ) Quando Or. a rubr. praescr. ternar. num. superant.

c) Si Collectae sint *pro re gravi*, omitt. tantum:

α) In duplic. 1 Classis.

β) In Vig. Nat. et Pent. et in Dom. Palm.

Nisi expresse ordinentur etiam in dupl. 1 Classis, quo in casu omitt:

1. In Festo Nativ. et Epiph.
2. In ultimo triduo Mai. Hebd.
3. Dom. Pasch. et Pentecost.
4. In festis Ascen. Ssmae Trinit. SS. Corporis Christi.

6. SEQUENTIA:

Omitti potest infra Oct., non autem in die Oct.,in Missis privatis lectis. Sequentiae Paschae et Pent. semper dicendæ sunt.

7. SYMBOLUM, seu *Credo:*

Dicitur: *a*) In Dominicis.

b) In Festis et Octavis Domini, B. M. V. et Angelorum.

c) In Festis et Oct. App. Evv. Doctorum, Patron. et Titular. Eccl. vel loci et Ord. et de quibus habent. insign. reliquiae.

d) In Dedic. Eccl., in die creat. et consecr. S. Pont. et Ep. Eccl. eorumque anniv.

e) In Missis Votivis sollemn. pro re gravi et de Ssmo Corde Iesu, prima feria 6 cuiusvis mensis.

8. PRAEFATIO:

Legitur *propria* de Officio princip. vel de commemorato, si habeatur:

Sin minus *communis.*

9. ITE MISSA EST:

Dicitur quoties in Missa dictum est *Gloria.*

10. Evangelium in fine:

a) Legitur proprium de Domin. vel Feria aut Vigil. in M. commemorata.

b) Item legitur propr. de Off. commem. nisi adsit Ev. propr. de Dom. etc. ut supra.

c) Item legitur Ev. diei Oct. Epiph. aut diei infra O. Pasch. et Pent. in Missa sollemni extra Ordinem in qua de iis fiat commem.

11. Preces, jussu Leonis XIII in Missis priv. immediate expleto ultimo Ev. recitandae, omittuntur:

a) In Missis cant. aut conventualibus.

b) In Missis vot. SS. Cordis Iesu 1ª Fer. 6 cuiusvis mensis.

c) In Missis cum aliqua sollemnit. celebratis, e. g. occasione 1ae Comm., etc. aut pro sponsis; vel si Missam, quin celebrans ab altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio vel pium exercitium.

II. – De Missis de Feria aut Vigilia.

1. In Feriis Quadrag. 4 Temp. 2 Rogat. et Vigiliis, si occurrat off. dupl. aut semi-dupl. (non vero si occurr. dupl. 1 aut 2 cl. aut Oct. privil. 2 ord.) Missae privatae dici possunt ad libit. sacerd. de Off. curr. vel de Fer. aut Vigilia.

2. In M. de Feria aut Vig. quae permitt. in Festis dupl. aut semi-dupl.:

a) Dicitur tantum 2 Oratio Festi de quo

recitatum est Off., si festum est duplex (nisi Officium aliquam commem. praescribat).

b) Si Festum est semi-dupl. additur 3 oratio, ea scil. quae 2 locum tenet in M. de Feria aut Vigil. (nisi pariter aliqua comm. facta sit in Officio).

3. In Feriis quando legitur M. de Dom. anticip. dicitur *Gloria* et *Credo* et Praefatio *propria*. Si vero M. legitur de Dom. praecedente aut reposita, omittuntur Gloria et Credo et dicitur Praef. *communis*.

III. – De Missis votivis.

1. *Missa votiva:*

a) Dici potest de quolibet Sancto cuius mem. fit in Brev. aut in Martyrol., non vero de Beatis (illis exceptis de quibus Off. concessum sit), nec de tempore, nec de Mysteriis — nisi de Trin., de Spir. Sancto, de SS. Sacram., de SS. Corde Iesu, de Cruce et de Passione.

b) De B. V. Maria legi tantum potest una ex quinque Missis quae habentur in Missali; itemque M. septem Dolor. et M. de Concept. Immac.

c) In Missa votiva quae non sit pro re gravi tres dicuntur orationes.

2. *Missa vot. sollemn. pro re gravi* et publica simul causa, quae scilicet celebratur de mandato

vel consensu Episc. pro qualibet vice obtinendo in cantu et cum concursu populi:

a) Prohibetur:

α) In Domin. et Festis Dupl. 1 classis.

β) In Vig. Nativ. et Pentec.

γ) Feria 4 Cin. et 2, 3 et 4 Mai. hebd.

δ) Die Comm. OO. FF. DD.

b) Unicam habet orat. (sed in M. pro grat. act. additur alia Or. ut propriis locis not). Dicitur *Gloria* et *Credo*, nisi M. celebr. in param. violaceis.

c) Diebus ut supra impeditis, orationi diei add. sub unica conclus. or. de Missa votiva: non vero in Comm. OO. FF. DD. et in Duplicibus 1 class. primariis Domini univers. Eccl.

3. *Missa votiva in cantu*, quamvis non sit pro re gravi, permittitur, praeterquam:

– In Off. dupl., in Dominica, in Vigil Fer. et Oct. privilegiata.

4. *Missa votiva privata sine cantu* prohibetur:

a) In omnibus off. dupliç.

b) In Dom. anticip. vel, etiam quoad Off., repositis.

c) In Feriis 4 Temp., 2 Rog., Adv. a die 17 ad 22 Dec. inclus., et in Vigiliis.

d) Infra Oct. privil. et in Diebus Oct. simpl. etiamsi commem.

e) Die in qua resum. sit M. Dominicae imped.

5. *Missa vot. sollemn. de SS. Sacram.* in Or. 40

Horarum, necnon M. *pro Pace* quae die intermedia decant., prohibetur:

a) In Dom. et Dupl. 1 et 2 Cl.

b) Infra Oct. Epiph., Paschae, Pent.

c) In Vigil. Nativ. D. et Pentec.

d) Feria 4 Cin., 2, 3 et 4 Mai. Hebd.

Hisce diebus imped. canitur M. de die, cum Or. Missae vot. sub una conclus. omissis comm. et collectis, cum Evang. in fine.

– In festo SS. Corp. Chr. et per Octav. Missa erit de festo vel de Octav. cum Sequentia.

6. *Missa vot. de SS. Corde Iesu* permittitur prima cuiusque mensis fer. 6 in Eccl. vel Orat. ubi peculiaria pietatis exercitia mane in divini Cordis hon., approbante loci Ord., peraguntur, exceptis:

a) Festis Christi D. et F. Purif. B. M. V.

b) Dupl. 1 Cl., Vigil. Epiph. et Fer. 6 in Parasc.

c) Infra OO. privil. et in Comm. OO. FF. DD.

d) Dieb. fest. etiam suppr. in Eccl. par. unam tantum M. habent.

e) Die 2, 3, 4 Ianuarii in quibus dicitur Missa « Puer natus est ».

7. *Missa votiva pro sponsis*, cum propr. benedictione:

a) Permittitur quotidie per annum extra tempus clausum nempe a d. 26 Dec. ad fer. 3 Quinquag. et a Fer. 2 Paschae ac Sabb. ante

Dom. 1 Adv. inclus. – et etiam tempore clauso, quoties loci Ord. iusta de causa ben. nupt. permiserit. Sed prohibetur:

α) In Dom. et in FF. de praec. etiam suppr.

β) In Comm. OO. FF. DD.

γ) In dupl. 1 et 2 Cl. et in Vig. privil.

δ) Infra Oct. Epiph., Pasch., Pent. et Corp. Ch.

ε) Fer. 4 Cin., 2, 3 et 4 mai. hebd.

b) Omitt. *Gloria* et *Credo;* dicunt 3. Orat. nisi celebr. in Festo dupl. fiunt tantum comm. occurrentes.

c) Diebus ut supra imped. dic. M. de die cum Or. pro Sponsis, sub unica conc., atque benedict. pro sponsis.

d) In Comm. OO. FF. DD. prohibet. tum bened. tum oratio pro Sponsis.

IV. – De Missis ritu festivo.

1. Si festum Patroni princ. aut Tituli vel Dedic. propriae Ecc. vel etiam Tit. aut S. Fundat. Ord. seu Congr. per accidens impediatur, de eo in sua die permitt. una M. in cantu vel comm. in M. cant. diei curr. iisdem condit. quibus permitt. M. vot. sol. pro re gravi.

Idem servatur in Eccl. ubi cum magno pop. concursu, cuius rei iudex erit Ordin., celebretur Festum quod transferri aut commemorari aut accidentaliter omitti debeat, aut de Mysterio,

Sancto vel Beato, cuius mentio illa die fiat in Martyrol.

2. Si in aliqua Dom. repon. solemn. externa Festi Patr. princ., aut Tit. aut Dedic. propriae Eccl. vel etiam Tit. aut S. Fund. Ord. seu Congr., quod infra praeced. hebdom. occurrerit, cani potest M. de sollemn. transl. et pariter de ea legi potest unica M., nisi occurr. Dom. mai. vel dupl. 1 Cl.: quo in casu in M. de die additur Or. de sollemn. externa impedita.

3. *De Festis dupl.* maior. vel min. aut semidupl. impeditis sive perpetuo sive accident. dici poterunt Missae priv. ab lib. sacerd., dummodo off. impediens non fuerit:

a) Dupl. 1 vel 2 cl.

b) Dominica quaevis.

c) Oct. Epiph., Pasch., Pent. et Corp. Chr.

d) Dies Oct. Nativ. vel Ascens.

e) Feria aut Vigilia privilegiata.

4. *De quolibet Off.* Ad Laud. commem. vel de Myst., Sancto aut Beato cuius mentio illa die fiat in Martyrol. dici poterunt ritu festivo Missae priv. singulis diebus, praeterquam:

a) In Off. dupl.

b) In quavis Domin. et vigilia.

c) In Octavis privileg.

d) Toto temp. Quadr., 4 Temp. ac F. 2 Rog.

V. – De Missis Defunctorum.

1. *Missa unica cantata* (vel etiam pro paup. lecta) pro die ob. etiam abs. rationabilem ob causam vel iam sep. cadav. permitt. in Eccl. ubi exequiale funus def. agitur, sed prohibetur:

a) In Festis Nat., Ep., Pasch., Asc., Pent., SS. Trin., Corp. Ch., Ch., Regis, Concept. Imm., Annunc. et Ass. B. M. V., Dedic. S. Mich. Arch., Nat. S. Io. Ba., S. Ioseph (19 Mart. et Fer. 4 infra hebd. 2 post O. Paschae), SS. Petri et Pauli, OO. SS. et ultimo trid. Mai. hebd.; non autem Fer. 2 et 3 post Pascha et Pentec.

b) In Fest. Tit. et Dedic. Eccl.

c) In F. Patr. princ. loci et, pro Instit. relig., in F. Tituli aut. S. Fund. Ord. seu Congr.

d) Durante exposit. SS. Sacramenti.

— Si solemn. hor. Fest. fuerit in Dom. translata, tunc prohibitio valet tantum pro Dom. in qua agitur sol.

— Quoties haec Missa ut supra impeditur, transferri potest in proximiorem sequentem diem similiter non imped.

— Si autem in die Comm. OO. FF. DD. agatur funus exequiale alicuius def., sumatur prima Missa et in Eccl. et Or. ubi prima Missa sollemniter celebrata fuerit, aut pro Off. diei distincte sit dein celebranda, dicatur secunda aut demum tertia Missa: addita tamen in ipsa

Missa exequiali sub unica concl. Or. pro eodem def. ut pro die obitus.

2. *Missae privatae* in Eccl. ubi funus exeq. def. sollemniter agitur dici possunt de requie pro die obitus ut supra (dummodo pro ipso def. applicentur) praeterquam:

a) In Domin. aut Festo de praec. etiam suppr.

b) In Dupl. 1 et 2 Cl. etiam transl.

c) In Comm. OO. FF. DD.

d) In Vig. Nat., Ep. et Pent.

e) Fer. 4 Cin., 2, 3 et 4 Mai. hebd.

f) In Octavis privilegiatis.

g) Durante exposit. Ssmi Sacramenti.

Huiusmodi Missae priv. celebrari poterunt pariter, unica tantum die ad lib., ab obitu usque ad depos. in Orat. semi-publ. quae (Ecclesia vel oratorio publ. deficiente) horum locum teneant; necnon quotidie per idem tempus in Orat. stricte privatis vel semi-publicis quae locum Eccl. vel Orat. publ. non teneant, dummodo non occurrat dies ut supra impedita et cadaver sit physice praesens in domo in qua erecta sunt praefata oratoria.

3. *Missa unica cantata vel lecta* in die 3, 7, 30 et anniv. ab ob. vel dep. def. et opportuniori die post acceptum mortis nuntium permitt. in qualibet Eccl., modo non occ. dies qui Missas priv. pro die ob. ut supra (n. 2) impediant: quo in casu

huiusm. Missa in proximam diem pariter non impeditam anticipari, si anticipari valeat, aut transferri potest, dummodo in cantu celebretur.

Idem servatur pro unica Missa cant. in anniv. quae extra diem ob. ex fundatione celebrantur, vel quae pro omn. deff. alicuius coetus semel quolibet anno habentur.

Idem pro Missis quae per octiduum, a Comm. OO. FF. DD. inclusive computandum, pro fidelium pietate pariter in cantu peraguntur: quae tamen Missae transferri aut anticipari nequeunt extra octiduum ipsum.

4. *Missae quotidianae cum cantu* pro deff. in qualibet Eccl. permittuntur singulis diebus, nisi occurrat:

a) Off. duplex vel Domin.

b) Vigilia, Fer. vel Oct. privil.

5. *Missae quotidianae sine cantu* pro deff. prohibentur iisdem diebus ut supra (n. 4) et:

a) Toto temp. Quadr. excepta prima die cuiusque hebd. libera a Festis ritus dupl. et a Feria privil.

b) In Fer., 4 Temp. et 2 Rogat.

c) In Fer. Adv. a die 17 ad 23 Dec. inclus.

d) In omn. Vigil. et diebus oct. simpl.

e) In Fer. in quibus primo resumenda sit Missa alicuius Dom. imped.

6. *In coemeteriis*, idest in Eccl. vel Orat. vel sacellis intra ipsa coemeteria erectis, quae tamen

chorale onus aut animarum curam adnexam non habeant, permittuntur quotidiae Missae de requie praeterquam:

a) In Dom. aut Festo de praec. etiam suppresso.

b) In dupl. 1 vel 2 cl. etiam translatis.

c) In Vig. Fer. vel Oct. privilegiatis.

7. *Nota 1. Quaelibet Missa Deff.* etiam in die aut pro die ob., in Eccl. ubi habeatur expos. SS. Sacram., prohibetur toto exposit temp. praeter quam Missae de Comm. OO. FF. DD.

Prohibetur insuper:

a) Quoties urgeat oblig. Missa convent. vel paroch., cui per alios sacerd. satisfieri nequeat.

b) Item in Eccl. unam tantum M. habent., die 2 Febr., Fer. 4 Cin., Dom. Palm. et Vig. Pent. (si respective fiat bened. candel., cinerum, palm. aut fontis bapt.), necnon in Litaniis sive mai. sive min. si fiat processio.

Nota 2. In Missa exequiarum, in Anniv. et Missa sollemni dicitur unica Oratio et Sequentia. In quotidianis tres dicuntur Orationes. Sequentia recitari vel omitti potest ad libitum.

§ 3. – *Post Missam.*

[**106**] Finita Missa, Sacerdos accipit Calicem velo coopertum, cum bursa, et eodem modo quo e Sacrario venit, ad Sacrarium ipsum revertitur.

Interim vero dicit:

Ant. Trium puerórum * cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum.

Quae Antiphona in Duplicibus duplicatur: et temp. Pasch. additur Allelúja.

Cantic. Benedícite prout sub n. 36.

Psalmus 150.

[**107**] Laudáte Dóminum in sanctis ejus: * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in týmpano, et choro: * laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus: laudáte eum in cýmbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Ant. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum. (*T. P.* Allelúja).

Postea Sacerdos dicit:

Kýrie, eléison, Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua.
℟. Et sancti tui benedícant tibi.
℣. Exsultábunt sancti in glória.
℟. Lætabúntur in cubílibus suis.
℣. Non nobis, Dómine, non nobis.
℟. Sed nómini tuo da glóriam.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius: ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

Actiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, et adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Da nobis, quæsumus, Dómine, vitiórum nostrórum flammas exstínguere: qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre.

Per Dóminum, *etc.*

Depositis vestibus sacris iterum manus lavat; deinde recitat preces opportunas pro gratiarum actione, quae gratiarum actio nunquam omitti debet.

Preces opportunae post Missam, vel post S. Communionem. [1]

En ego, o bone et dulcíssime Jesu, ante conspéctum tuum génibus me provólvo ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor, ut meum in cor vívidos fídei, spei et caritátis sensus, atque veram peccatórum meórum pœniténtiam, éaque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere; dum magno ánimi afféctu et dolóre tua quinque vúlnera mecum ipse consídero, ac mente contémplor, illud præ óculis habens, quod jam in ore ponébat tuo David prophéta de te, o bone Jesu: Fodérunt manus meas et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea. *Ps. 21*, 17-18.

Ind. plenaria recitantibus post Missam (Pius Pp. IX, 31 Iulii 1858).

Obsecro te, dulcíssime Dómine Jesu Christe, ut pássio tua sit mihi virtus, qua múniar, prótegar atque deféndar: vúlnera tua sint mihi cibus, potúsque, quibus pascar, inébrier, et delécter: aspérsio sánguinis tui sit mihi ablútio ómnium peccatórum meórum; mors tua

[1] Preces pro gratiarum actione vide in Missali vel in Breviario. Hic praecipuas referimus.

sit mihi glória sempitérna. In his sit mihi refféctio, exultátio, sánitas, et dulcédo cordis mei. Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Adspirationes s. Ignatii ad Ss.mum Redemptorem.

Anima Christi sanctífica me. Corpus Christi salva me. Sanguis Christi inébria me. Aqua láteris Christi lava me. Pássio Christi confórta me. O bone Jesu, exáudi me. Intra tua vúlnera abscónde me. Ne permíttas me separári a te. Ab hoste malígno defénde me. In hora mortis meæ voca me. Et jube me veníre ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculórum. Amen.

Oblatio sui.

Súscipe, Dómine, univérsam meam libertátem. Accipe memóriam, intelléctum, atque voluntátem omnem. Quidquid hábeo, vel possídeo, mihi largítus es: id tibi totum restítuo, ac tuæ prorsus voluntáti trado gubernándum. Amórem tui solum cum grátia tua mihi dones, et dives sum satis, nec áliud quidquam ultra posco.

Ad B. Virginem Mariam.

O Sanctíssima, o sereníssima et ínclyta gloriósa Virgo Maria, quæ Creatórem ómnium creaturárum, in tuo sacratíssimo útero fuísti digna portáre, sólaque virgíneo úbere lactáre,

cujus veracíssimum, sacrúmque corpus, et sánguinem ego indígnus peccátor modo súmere præsúmpsi; tuam humíliter déprecor misericórdiam, ut apud ipsum pro me peccatóre intercédere dignéris: ut quidquid in hoc tam ineffábili, ac digníssimo sacrifício, per me indígnum ignoránter vel negligénter, aut accidénter, seu irreverénter, scílicet in tractándo, et suméndo, ac ministrándo actum est, commíssum, vel omíssum, tuis sacratíssimis précibus indulgére dignétur idem Dóminus noster Jesus Christus fílius tuus, qui cum Patre et Spíritu sancto vivit, et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

Art. II. – Circa ritus et caeremonias pro Sacramentis.

In quatuor paragraphos dividitur, in quibus de ritibus et caeremoniis: Confirmationis, Poenitentiae, Extremae Unctionis, et Matrimonii aliquid, prouti opportunum visum est, dicetur.

Appendix additur de modo iuvandi moribundos; et altera in qua ponitur Ordo exequiarum sive pro adultis sive pro pueris.

§ 1. – *De Ritibus in ministrando Sacramento Confirmationis.*

[108] Ritus Sacramenti Confirmationis, pro Sacerdote qui facultatem ab Apostolica Sede obtinuerit, invenitur in Rituali Romano, et prae-

cise in prima parte Appendicis, sub art. 2 « De Confirmatione ».

In prima parte huius Articuli habentur 21 paragraphi in quibus praecipue indicantur praescriptiones Codicis iuris canonici circa S. Confirmationem.

In altera parte ritus exhibetur quo Confirmationis Sacramentum ministrari debet.

Cum de doctrina canonica iam locuti simus in primo Volumine (940-958); heic reproducere opportunum censuimus, pro commoditate praecipue Missionariorum, integrum ritum servandum in collatione huius Sacramenti.

Cum tempus advenerit, quo Sacerdos, utens facultate sibi ab Apostolica Sede, ut supra, tributa, administrare Confirmationem intendit, superpellicco et stola, vel etiam pluviali albi coloris indutus, stans ante Altare versus ad populum hinc inde dispositum (masculis a dexteris, feminis vero a sinistris), circumstantes admoneat, quod nullus alius, nisi Episcopus, Confirmationis ordinarius Minister est; se vero collaturum esse illam iure per S. Sedem delegato.

Mox, si huiusmodi delegatio per indultum facta fuerit, delegationis Decretum lingua vernacula legatur alta et intelligibili voce; deinde Sacerdos moneat astantes, quod nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam ipse post omnium Confirmationem dabit. Item, quod infantes, si quos in prima aetate iusta de causa confirmandos existimaverit, per patrinos teneantur in brachiis dexteris, et quod adulti ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui: vel patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi, sive infantis sive adulti.

Hac altera monitione completa, pariter stans versa facie ad confirmandos, iunctis ante pectus manibus, confirmandis vero genua flectentibus et manus ante pectus iunctas tenentibus, dicit:

℣. Spíritus Sanctus supervéniat in vos, et virtus Altíssimi custódiat vos a peccátis.

℟. Amen.

Deinde signans se a fronte ad pectus signo crucis, dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit:

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui regeneráre dignátus es hos fámulos tuos ex aqua, et Spíritu Sancto, quique dedísti eis remissiónem ómnium peccatórum: emítte in eos septifórmem Spíritum tuum Sanctum Paráclitum de cælis.

℟. Amen.

Spíritum sapiéntiæ, et intelléctus.

℟. Amen.

Spíritum consílii, et fortitúdinis.

℟. Amen.

Spíritum sciéntiæ, et pietátis.

℟. Amen.

Adímple eos Spíritu timóris tui, et consígna eos signo Cru ✠ cis Christi, in vitam propitiátus ætérnam. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Postea Sacerdos confirmat illos per ordinem genuflexos, primo mares, secundo feminas. Uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Inquirit autem singillatim de nomine cuiuslibet confirmandi, sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus praesentati, et summitate pollicis dexterae manus Chrismate intincta, confirmat eum dicens:

N. Signo te signo Cru ✠ cis *quod dum dicit, imposita manu dextera super caput confirmandi, producit pollice signum crucis in fronte illius, deinde prosequitur:* et confírmo te Chrísmate salútis. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti.

℟. Amen.

Et leviter eum in maxilla caedit, dicens:

Pax tecum.

Ligantur mox vittis lineis recenter confirmatorum frontes. Quod sicubi huiusmodi vittae non adhibeantur, Sacerdos, postquam frontes confirmandorum linierit sacro Chrismate, eas gossypio postea comburendo, diligenter abstergat.

Omnibus confirmatis, Sacerdos tergit cum mica panis, et lavat pollicem et manus super pelvim; deinde aqua lo-

tionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii, in qua reponi debent etiam supradictorum gossypiorum cineres.

Interim dum lavat manus, si adsint ministri, cantatur, vel legitur ab iis sequens Antiphona; alias post lotionem ab ipso Sacerdote dicitur:

Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto: Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Et repetitur Antiphona:

Confírma hoc, Deus, etc.

Qua repetita, Sacerdos stans versus ad Altare, iunctis ante pectus manibus dicit:

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Iunctis vero adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genua flectentibus, dicit:

Orémus.

Deus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum, et per eos eorúmque successóres céteris fidélibus tradéndum esse voluísti: réspice propítius ad humilitátis nostræ famulátum, et præsta; ut eórum corda, quorum frontes sacro

Chrísmate delinívimus, et signo sanctæ Crucis signávimus, idem Spíritus Sanctus in eis supervéniens, templum glóriae suæ dignánter inhabitándo perfíciat: Qui cum Patre, et eódem Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde dicit:

Ecce sic benedicétur omnis homo, qui timet Dóminum.

Et vertens se ad confirmatos, ac faciens super eos signum crucis, dicit:

Bene ✠ dícat vos Dóminus ex Sion, ut videátis bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ vestræ, et habeátis vitam ætérnam.

℟. Amen.

Absoluta hoc modo Confirmatione, Sacerdos sedens patrinos et matrinas monet, quod instruant filios suos bonis moribus, ut fugiant mala, et faciant bona; et doceant eos Credo in Deum, *et* Pater noster, *et* Ave Maria, *quoniam ad hoc sunt obligati.*

§ 2. – *De modo administrandi Sacramentum Poenitentiae.*

[**109**] Suo loco de hoc Sacramento in primo Volumine huius Manualis (959-1027) locuti sumus.

Formulam Absolutionis ibidem retulimus, sive pro casibus ordinariis, sive pro casu mortis imminentis.

In Rituali Romano de hoc Sacramento edicitur sub Tit. III in quinque Capitibus, in quibus habetur:

1. De Sacramento Poenitentiae;

Ordo ministrandi Sacramentum Poenitentiae.

2. Absolutionis forma communis.

3. De modo absolvendi ab excommunicatione extra sacramentalem confessionem.

4. Ritus absolvendi excommunicatum iam mortuum.

5. De modo absolvendi a suspensione vel ab interdicto extra sacramentalem confessionem, et dispensandi super irregularitate.

Ex his omnibus heic tantum referre censuimus monita nonnulla quae habentur in Capite primo huius Tituli III, ad usum et adiuvamen iuvenum Sacerdotum, remittendo eos, pro ceteris quae ad hoc Sacramentum attinent, ad probatos auctores theologiae moralis.

Ordo ministrandi Sacramentum Poenitentiae.

Sacerdos ad audiendam confessionem vocatus, promptum facilemque se praebeat: ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte, sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit.

Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infir-

mitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit.

Confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet.

Superpelliceo, et stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo.

Poenitens, si opus sit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis et habitus accedat, et flexis genibus signo crucis se muniat.

Mox Confessarius inquirat de illius statu (nisi aliter notus sit) et quampridem sit confessus, et an impositam poenitentiam adimpleverit; num rite atque integre alias confessus fuerit; num conscientiam suam, ut debet, prius diligenter discusserit.

Quod si poenitens aliqua censura, vel casu reservato sit ligatus, a quo ipse non possit absolvere, ne absolvat, nisi prius obtenta facultate a Superiore.

Si vero Confessarius, pro personarum qualitate, cognoverit poenitentem ignorare christianae fidei rudimenta, si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis fidei, et aliis ad salutem cognitu necessariis, et ignorantiam eius corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.

Si poenitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, cum Sacerdos prudenter interroget.

Sed caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim imprudenter interrogans iuniores utriusque sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.

Demum, audita confessione, perpendens peccatorum, quae ille admisit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac poenitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna caritate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

Postremo salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserint, iniungat, habita ratione status, conditionis, sexus et aetatis et item dispositionis poenitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas poenitentias imponat, ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novae vitae remedium, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum castigationem.

Poenitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii ne applicent, neve a poenitentibus quidquam tamquam ministerii sui praemium petant, vel accipiant.

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam ne imponant.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel deneganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt qui nulla dant signa doloris; qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare, nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant; neve etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio): sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat; ac si periculum evaserit, et aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur; cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus.

§ 3. – *Ordo administrandi. Sacramentum Extremae Unctionis.*

[**110**] Ad commoditatem Sacerdotum, referimus « Ordinem ministrandi Sacramentum Extremae Unctionis ». De hoc Sacramento sermo

est in primo volumine huius Manualis (1059-1073).

De eodem Sacramento adest in Rituali Romano Titulus V, octo capitibus constans, in quibus:

1. De Sacramento Extremae Unctionis.
2. Ordo ministrandi Sacramentum Extremae Unctionis.
3. Septem Psalmi Poenitentiales cum Litaniis Sanctorum.
4. De visitatione et cura infirmorum.
5. Modus iuvandi morientes.
6. Ritus Benedictionis Apostolicae cum Indulgentia plenaria in articulo mortis.
7. Ordo commendationis animae.
8. De expiratione.

Cum perventum fuerit ad locum, ubi iacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit:

℣. Pax huic dómui.

℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Deinde deposito Oleo super mensam, superpelliceo, stolaque violacea indutus, aegroto crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum crucis aqua benedicta eum, et cubiculum, et circumstantes aspergit, dicens Antiphonam: Aspérges me, Dómine, *etc. Quod si aegrotus velit confiteri, audiat illum, et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de huius Sacramenti vi, atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat: et quantum opus sit, eius animam confirmet, et in spem erigat vitae aeternae.*

Postea dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Intróeat, Dómine Jesu Christe, domum hanc sub nostrae humilitátis ingréssu, ætérna felícitas, divína prospéritas, seréna lætítia, cáritas fructuósa, sánitas sempitérna: effúgiat ex hoc loco accéssus dæmonum: adsint Angeli pacis, domúmque hanc déserat omnis malígna discórdia. Magnífica, Dómine, super nos nomen sanctum tuum; et béne ✠ dic nostræ conversatióni: sanctífica nostræ humilitátis ingréssum, qui sanctus et qui pius es, et pérmanes cum Patre et Spíritu Sancto in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus, et deprecémur Dóminum nostrum Jesum Christum, ut benedicéndo bene ✠ dícat hoc tabernáculum, et omnes habitántes in eo, et det eis Angelum bonum custódem, et fáciat eos sibi servíre ad considerándum mirabília de lege sua: avértat ab eis omnes contrárias potestátes; erípiat eos ab omni formídine, et ab omni perturbatióne, ac sanos in hoc tabernáculo custodíre dignétur: Qui cum Patre et

Spíritu Sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus.

Exáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet atque deféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Quae Orationes, si tempus non patiatur, ex parte, vel in totum poterunt omitti. Tunc de more facta confessione generali, latino vel vulgari sermone, Sacerdos dicit in singulari numero: Misereátur tui, *etc.*, Indulgéntiam... tuorum tribuat tibi, *etc.*

Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat astantes, ut pro illo orent; et, ubi commodum sit, pro loco et tempore, et astantium numero, vel qualitate, recitent septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis Sanctorum, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat. Mox, extensa manu dextera super caput infirmi, dicit:

In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti, exstinguátur in te omnis virtus diáboli per impositiónem mánuum nostrárum, et per invocatiónem gloriósæ et sanctæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ, ejúsque ínclyti Sponsi Joseph et ómnium sanctórum Angelórum, Archangelórum, Patriarchárum, Prophetárum, Aposto-

lórum, Mártyrum, Confessórum, Vírginum, atque ómnium simul Sanctórum. Amen.

Deinde, intincto pollice in Oleo sancto, in modum crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formae in hunc modum:

Ad oculos.

Per istam sanctam Unctió ✠ nem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per visum deliquísti. Amen.

Minister vero, si est in Sacris, vel ipsemet Sacerdos, post quamlibet Unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii, vel rei similis, eumque in vase mundo reponat, et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque proiiciat in sacrarium.

Ad aures.

Per istam sanctam Unctió ✠ nem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per audítum deliquísti. Amen.

Ad nares.

Per istam sanctam Unctió ✠ nem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per odorátum deliquísti. Amen.

Ad os, compressis labiis.

Per istam sanctam Unctió ✠ nem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per gustum et locutiónem deliquísti. Amen.

Ad manus.

Per istam sanctam Unctió ✠ nem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per tactum deliquísti. Amen.

Et adverte, quod Sacerdotibus, ut dictum est, manus non inunguntur interius, sed exterius.

Ad pedes.

Per istam sanctam Unctió ✠ nem, et suam piíssimam misericórdiam, indúlgeat tibi Dóminus quidquid per gressum deliquísti. Amen.

Haec autem unctio ad pedes, ut dictum est, ex qualibet rationabili causa omitti potest.

Quibus omnibus peractis, Sacerdos pollicem fricat cum medulla panis, manus lavat linteoque abstergit; aqua vero lotionis cum pane, suo tempore, mittatur in sacrarium, vel, si hoc desit, in ignem. Deinde dicit:

Kýrie, eléison. Christe, eléison, Kýrie, eléison.

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum (am) fac servum tuum (ancillam tuam).

℟. Deus meus, sperántem in te.

℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.

℟. Et de Sion tuére eum (eam).

℣. Esto ei, Dómine, turris fortitúdinis.

℟. A fácie inimíci.

℣. Nihil proficiat inimícus in eo (ea).

℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine Deus, qui per Apóstolum tuum Jacóbum locútus es: Infirmátur quis in vobis? indúcat presbýteros Ecclésiæ et orent super eum, ungéntes eum óleo in nómine Dómini: et orátio fídei salvábit infírmum, et alleviábit eum Dóminus: et si in peccátis sit, remitténtur ei; cura, quæsumus, Redémptor noster, grátia Sancti Spíritus languóres istíus infírmi (infírmæ), ejúsque sana vúlnera, et dimítte peccáta, atque dolóres cunctos mentis et córporis ab eo (ea) expélle, plenámque intérius et extérius sanitátem misericórditer redde, ut, ope misericórdiæ tuæ restitútus (-a), ad prístina reparétur offícia: Qui cum Patre et eódem Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, in sæcula sæculórum. Amen.

Orémus.

Réspice, quæsumus, Dómine, fámulum tuum *N.* (fámulam tuam *N.*) in infirmitáte sui córporis fatiscéntem, et ánimam réfove, quam creásti: ut, castigatiónibus emendátus (-a), se tua séntiat medicína salvátum (-am). Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus.

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui, benedictiónis tuæ, grátiam ægris infundéndo corpóribus, factúram tuam multíplici pietáte custódis: ad invocatiónem tui nóminis benígnus assíste; ut fámulum tuum (fámulam tuam) ab ægritúdine liberátum (-am), et sanitáte donátum (-am), déxtera tua érigas, virtúte confírmes, potestáte tueáris, atque Eccléſiæ tuæ sanctæ, cum omni desideráta prosperitáte restítuas. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Ad extremum, pro personae qualitate, salutaria monita breviter praebere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas daemonum tentationes roboretur.

Denique aquam benedictam, et crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquat, ut illam frequenter aspiciat, et pro sua devotione osculetur et amplectatur.

Appendix I.

Circa modum iuvandi moribundos.

a) Ritus benedictionis Apostolicae cum Indulgentia plenaria in articulo mortis.

[**111**] ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta fámuli

tui (fámulæ tuæ): neque vindíctam sumas de peccátis ejus.

Kýrie, eléison, Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum (-am) fac servum tuum (ancíllam tuam).

℟. Deus meus, sperántem in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Clementíssime Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis perire in te credéntem, atque sperántem: secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice propítius fámulum tuum *N.*, quem (fámulam tuam *N.*, quam) tibi vera fides, et spes christiána comméndant. Vísita eum (eam) in salutári tuo, et per Unigéniti tui passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem, et véniam cleménter indúlge: ut ejus ánima in hora éxitus sui te júdicem propitiátum invéniat, et in sánguine ejúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tunc, dicto ab uno e Clericis adstantibus Confíteor, *Sacerdos dicat:* Misereátur *et* Indulgéntiam, *ac deínde:*

Dóminus noster Jesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi, atque solvéndi, per suam piíssimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in Baptísmate recepísti: et ego facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria remíttat tibi omnípotens Deus omnes præséntis et futúræ vitæ pœnas, paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat.

℟. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur, dicendo:

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

Per sacrosáncta, *etc., ut supra.*
Benedícat te, *etc., ut supra.*
In casu vero necessitatis sufficit dicere:

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo, et benedíco te. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

℟. Amen.

b) Preces brevissimae, seu iaculatoriae, pro morientibus.

[**112**] Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.

In te, Dómine, sperávi: non confúndar in ætérnum.

In manus tuas, Dómine, comménd spíritum meum: redemísti me, Dómine, Deus veritátis.

Deus, in adjutórium meum inténde: Dómine, ad adjuvándum me festína.

Esto mihi, Dómine, in Deum protectórem.

Deus, propítius esto mihi peccatóri.

Dulcíssime Dómine Jesu Christe, per virtútem sanctíssimæ passiónis tuæ, récipe me in númerum electórum tuórum.

Dómine Jesu Christe, súscipe spíritum meum.

María, mater grátiæ, mater misericórdiæ, tu me ab hoste prótege, et hora mortis súscipe.

Sancte Angele Dei, mihi custos assíste.

Omnes sancti Angeli et omnes Sancti, intercédite pro me et mihi succúrrite.

c) Oratio «Proficíscere».

Oratio.

[113] Proficíscere, ánima christiána, de hoc mundo, in nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit: in nómine Jesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est: in nómine Spíritus Sancti, qui in te effúsus est: in nómine gloriósæ et sanctæ Dei Genitrícis Vírginis Maríæ: in nómine beáti Joseph, ínclyti ejúsdem Vírginis Sponsi: in nómine Angelórum et Archangelórum: in nómine Thronórum et Dominatiónum: in nómine Principátuum et Potestátum: in nómine Virtútum, Chérubim et Séraphim: in nómine Patriarchárum et Prophetárum: in nómine sanctórum Apostolórum et Evangelistárum: in nómine sanctórum Mártyrum et Confessórum: in nómine sanctórum Monachórum et Eremitárum: in nómine sanctárum Vírginum, et ómnium Sanctórum et Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, et habitátio tua in sancta Sion. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

d) De Exspiratione.

Cum tempus exspirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus, vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat; vel, si non potest, assistens sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet: Jesu, Jesu, Jesu. *Quod et ea quae sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam saepius repetat:*

In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum.

Dómine Jesu Christe, súscipe spíritum meum.

Sancta María, ora pro me.

María, mater grátiæ, mater misericórdiæ, tu me ab hoste prótege, et hora mortis súscipe.

Sancte Joseph, ora pro me.

Sancte Joseph, cum beáta Vírgine Sponsa tua, áperi mihi divínæ misericórdiæ sinum.

Jesu, María, Joseph, vobis cor et ánimam meam dono.

Jesu, María, Joseph, adstáte mihi in extrémo agóne.

Jesu, María, Joseph, in pace vobíscum dórmiam et requiéscam.

Tunc, ubi viget pia consuetudo, pulsetur campana paroecialis ecclesiae aliquibus ictibus, ad significandum fidelibus instantem mortem exspirantis aegroti, ut pro eo Deum rogare possint.

Egressa anima de corpore, statim dicatur:

℟. Subveníte, Sancti Dei, occúrrite, Angeli

Dómini, * Suscipiéntes ánimam ejus, * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

℣. Suscípiat te Christus, qui vocávit te, et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te.

℟. Suscipiéntes ánimam ejus, * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine, et lux perpétua lúceat ei. * Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui *N.* (fámulæ tuæ *N.*), ut defúnctus (-a) sæculo tibi vivat: et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénia

misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, post nomen proprium addatur vox Sacerdótis.

Interim detur campana signum transitus defuncti, pro loci consuetudine, ut audientes pro eius anima Deum precentur. Deinde corpus, de more honeste compositum, loco decenti cum lumine collocetur: ac parva crux super pectus inter manus defuncti ponatur, aut, ubi crux desit, manus in modum crucis componantur, interdumque aspergatur aqua benedicta, et interim, donec efferatur, qui adsunt, sive Sacerdotes, sive alii, orabunt pro defuncto.

Appendix II.

De Exequiis.

Titulus VI Ritualis romani septem Capitibus constat:

1. De exequiis.
2. De iis quibus deneganda est ecclesiastica sepultura.
3. Exequiarum ordo.
4. Officium defunctorum.
5. De exequiis absente defuncti corpore, sive in die tertia, septima, trigesima et anniversario, sive in alio die.
6. De exequiis parvulorum.
7. Ordo sepeliendi parvulos.

Ex hoc titulo VI duo capita referimus, ad commoditatem Sacerdotum, nempe 3 et 7, cum

valde opportunum sit ea quae ibi continentur practice cognoscere.

[114] *a*) Exequiarum ordo.

Constituto tempore quo corpus ad ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus, et alii qui funeri interesse debent, et in paroecialem vel in aliam ecclesiam, iuxta loci consuetudinem, ordine conveniant; ac, datis certis campanae signis, eo modo et ritu quo in eo loco fieri solet, Parochus, indutus superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali eiusdem coloris, clerico praeferente Crucem et alio aquam benedictam, ad domum defuncti una cum aliis procedit. Distribuuntur cerei et accenduntur intorticia.

Mox ordinatur processio, praecedentibus laicorum confraternitatibus, si adsint: tum sequitur Clerus regularis et saecularis per ordinem; binique procedunt, praelata Cruce, devote Psalmos, ut infra, decantantes, Parocho praecedente feretrum cum luminibus; inde sequuntur alii funus comitantes, et pro defuncto Deum rite deprecantes sub silentio.

Parochus vero, antequam cadaver efferatur, illud aspergit aqua benedicta; mox dicit sine cantu Antiphonam: Si iniquitátes.

Si Exsequiae fiant pro pluribus defunctis, in hoc versu, et in omnibus versiculis et Orationibus, pro singulari ponatur numerus pluralis, praeterquam in Oratione Non intres, *ut infra.*

Deinde Parochus repetit Antiphonam totam:

Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit?

Tum cadaver effertur, Parochusque de domo procedens, statim gravi voce intonat Antiphonam:

Exsultábunt Dómino. *Cantores inchoant: Psalmum 50,* Miserére mei, Deus (vide sub n. 56).

Ac si longitudo itineris postulaverit, dicantur Psalmi Graduales, Ad Dóminum cum tribulárer, *etc., vel alii Psalmi ex Officio Defunctorum, et in fine cuiuslibet Psalmi dicitur:* Réquiem ætérnam dona ei, Dómine, *etc.; qui Psalmi devote, distincte, gravique voce recitari debent usque ad ecclesiam.*

Ad ingressum ecclesiae repetitur Antiphona:

Exsultábunt Dómino ossa humiliáta.

Deinde ecclesiam ingressi, cantant Responsorium, Cantore incipiente et Clero alternatim respondente, videlicet:

Subveníte, * Sancti Dei, occúrrite, Angeli Dómini: * Suscipiéntes ánimam ejus: † Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus, qui vocávit te: et in sinum Abráhæ Angeli dedúcant te. * Suscipiéntes ánimam ejus: † Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine: et lux perpétua lúceat ei. † Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi.

Deposito feretro in medio ecclesiae, ita ut defuncti pedes, nisi fuerit Sacerdos, sint versus Altare maius, si vero fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare, et cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid impediat, dicatur Officium Defunctorum, cum Invitatorio, tribus Nocturnis, et Laudibus, et duplicentur Antiphonae.

Si vero, delato ad ecclesiam cadavere, statim persolvi non debeant Officium et Missa, quae serius vel die sequenti habeantur, tunc, cantato Responsorio Subveníte, *dicatur:* Kýrie, eléison, Christe, eléison. Kýrie, eléison. Pater noster, *etc., cum sequentibus Versiculis et Oratione, ut infra, adhibita conclusione brevi* Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen. *Deinde:* ℣. Réquiem ætérnam dona

ei, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei. ℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

Ad finem Officii Defunctorum, post repetitam Antiphonam Cantici Benedictus: Ego sum resurréctio, *etc. (vel post Nocturnum vel Nocturnos, si Laudes omittantur), dicitur flexis genibus:*

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Absólve, quæsumus, Dómine, ánimam fámuli tui *N.* (fámulæ tuæ *N.*) ab omni vínculo delictórum; † ut in resurrectiónis glória * inter Sanctos et eléctos tuos resuscitátus (-a) respíret. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: † Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, * per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, post nomen proprium addatur vox Sacerdótis.

Vel dicatur alia Oratio conveniens.

Post Orationem, si haec non dicitur immediate ante Exsequias vel Missam vel Absolutionem, adduntur ℣℣. Réquiem ætérnam *et* Requiéscant, *ut infra.*

Omnes Orationes in Exsequiis et in Officio Defunctorum cantantur in tono feriali, id est recto tono, vel in altero tono feriali ad libitum.

Conclusio longa Orationum adhibetur tantummodo in Missa et Officio, extra vero semper brevis.

Dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum Ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro defuncto, si tempus congruens sit, ut in die depositionis in Missali Romano.

Finita Missa, Celebrans, depositis casula seu planeta et manipulo in plano ad cornu Epistolae, accipit pluviale nigri coloris, Diacono et Subdiacono paratis remanentibus, depositis tamen manipulis. Tum Subdiaconus accipit Crucem, et, praecedentibus duobus acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, alio cum vaso aquae benedictae et aspersorio, accedit ad feretrum et se sistit ad caput defuncti cum Cruce, medius inter duos acolythos seu ceroferarios cum candelabris et candelis accensis. Post eum omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, et stant in circuitu feretri: ultimo loco sequitur Celebrans cum Diacono a sinistris, et, facta prius reverentia Altari, sistit se contra Crucem ad pedes defuncti, retro astantibus ei a sinistris duobus acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, altero cum vaso aquae benedictae, et aspersorio. Tunc, Diacono tenente librum, iunctis manibus absolute dicit sequentem Orationem (nulla numeri aut generis facta mutatione, etiamsi pro pluribus aut pro femina dicatur):

Non intres in judícium cum servo tuo, Dómine, quia nullus apud te justificábitur homo, nisi per te ómnium peccatórum ei tribuátur

remíssio. Non ergo eum, quæsumus, tua judiciális sententia premat, quem tibi vera supplicátio fídei christiánæ comméndat: sed, grátia tua illi succurrénte, mereátur evádere judícium ultiónis, qui dum víveret, insignítus est signáculo sanctæ Trinitátis: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde, Cantore incipiente, Clerus circumstans cantat sequens Responsorium:

Líbera me, Dómine, * de morte ætérna, in die illa treménda: * Quando cæli movéndi sunt et terra: † Dum véneris judicáre sæculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego, et tímeo, dum discússio vénerit, atque ventúra ira. * Quando cæli movéndi sunt et terra. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitátis et misériæ, dies magna et amára valde. † Dum véneris judicáre sæculum per ignem. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis.

Repet. Líbera me, Dómine, *usque ad* ℣. Tremens.

Dum repetitur praedictum Responsorium, Sacerdos, Diacono ministrante, accipit incensum de navicula et ponit in thuribulum, benedicens illud more solito. Finito Responsorio, Cantor cum primo Choro dicit:

Kýrie, eléison.

Et secundus Chorus respondet:

Christe, eléison.

Deinde omnes simul dicunt:

Kýrie, eléison.

Mox Sacerdos dicit alta voce:

Pater noster.

Et secreto continuatur ab omnibus. Ipse interim accipit de manu Diaconi aspersorium aquae benedictae, eodemque Diacono comitante a dexteris et anteriorem fimbriam pluvialis sublevante, circumiens feretrum, aspergit corpus defuncti aqua benedicta, ter a parte sinistra cadaveris et ter a dextera. Cum transit ante Altare et ante Crucem, quae est ex adverso, profunde se inclinat, Diacono genuflectente; si transit ante Sacramentum, genuflectit. Deinde, reversus ad locum suum, Diacono ministrante, accipit thuribulum, et eodem modo quo asperserat, circuit feretrum, et corpus incensat; postea, reddito thuribulo, stans in loco suo, Diacono librum apertum ante ipsum tenente, iunctis manibus dicit:

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.
℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere: te súpplices exorámus pro ánima fámuli tui *N.* (fámulæ tuæ *N.*), quam hódie de hoc sæculo migráre jussísti, † ut non tradas eam in

manus inimíci, neque obliviscáris in finem, sed júbeas eam a sanctis Angelis súscipi, et ad pátriam paradísi perdúci; * ut, quia in te sperávit et crédidit, non pœnas inférni sustíneat, sed gáudia ætérna possídeat, Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Si defunctus fuerit Sacerdos, in Oratione dicatur: pro ánima fámuli tui *N.* Sacerdótis, quam, *etc.*

Finita Oratione, corpus defertur ad sepulcrum, si tunc deferendum sit; dum autem portatur, vel in eodem loco, si tunc non portetur, Clerici cantant Antiphonam:

In paradísum * dedúcant te Angeli: in tuo advéntu suscípiant te Mártyres, et perdúcant te in civitátem sanctam Jerúsalem. Chorus Angelórum te suscípiat, et cum Lázaro quondam páupere ætérnam hábeas réquiem.

Cum autem pervenerit ad sepulcrum, si non sit benedictum, Sacerdos illud benedicit, dicens hanc Orationem:

Orémus.

Deus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt, hunc túmulum bene ✠ dícere dignáre, eíque Angelum tuum sanctum députa custódem: et quorum quarúmque córpora hic sepeliúntur, ánimas eórum ab ómnibus absólve vínculis delictórum, ut in te semper cum Sanctis tuis sine fine læténtur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Si sepulcrum pro uno tantum inserviat, dicatur: et cujus corpus hic sepélitur, ánimam ejus... lætétur.

Dicta Oratione, Sacerdos aqua benedicta aspergat, deinde incenset corpus defuncti et tumulum.

Quod si sepulcrum iam sit benedictum, omittitur tum benedictio sepulcri, tum aspersio et incensatio corporis ac tumuli.

Deinde, etiamsi corpus tunc ad sepulturam delatum non fuerit, Sacerdos prosequatur Officium, ut infra, quod numquam omittitur; et intonet Antiphonam:

Ego sum. *Cant.* Benedíctus Dóminus Deus Israël. (Canticum Zachariæ, vide sub n. 38).

Et repetitur Antiphona:

Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet: et omnis qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum.

Postea Sacerdos dicit: *Chorus prosequitur:*

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Sacerdos:

Pater noster, *secreto.*

Interim corpus, quin circumeat, aspergit.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimam ejus.

℣. Requiéscat in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Fac, quæsumus, Dómine, hanc cum servo tuo, defúncto (ancílla tua defúncta) misericórdiam, ut factórum suórum in pœnis non recípiat vicem, qui (quæ) tuam in votis ténuit voluntátem: † ut, sicut hic eum (eam) vera fides junxit fidélium turmis; * ita illic eum (eam) tua miserátio sóciet angélicis choris. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Celebrans, faciens crucem manu dextera super feretrum, dicit:

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat ei.
℣. Requiéscat in pace.
℟. Amen.
℣. Anima ejus, et ánimæ ómnium fidélium defunctórum, per misericórdiam Dei requiéscant in pace.
℟. Amen.

Deinde cum a sepulcro in ecclesiam vel ab ecclesia in sacristiam, praecedente Cruce, revertuntur, Celebrans inchoat sine cantu Antiphonam: Si iniquitátes, *et cum Clero recitat Psalmum* De profúndis, *etc., ut supra, sub N. 57.*

In fine Psalmi additur in numero plurali:

Réquiem ætérnam * dona eis, Dómine.
Et lux perpétua * lúceat eis.

Et ab omnibus repetitur tota Antiphona:

Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine, quis sustinébit?

Deinde in sacristia Sacerdos, ante quam paramentis exuatur, dicit sequentes Preces:

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Pater noster, *secreto usque ad*
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.
℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.
℟. Et lux perpétua lúceat eis.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.

[**115**] *b*) Ordo sepeliendi parvulos.

Cum infans vel puer baptizatus defunctus fuerit ante usum rationis, induitur iuxta aetatem, et imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis et odoriferis, in signum integritatis carnis et virginitatis; Parochus autem, superpelliceo et stola alba indutus, et alii de Clero, si adsint praecedente Cruce, quae sine hasta defertur, accedunt ad domum defuncti, cum clerico aspersorium deferente.

Sacerdos aspergit corpus, deinde dicit:

Ant. Sit nomen Dómini. Ps. 112. Laudáte, puéri, Dóminum (vide sub n. 42).

Ant. Sit nomen Dómini benedíctum, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Dum portatur corpus ad ecclesiam, dicatur Ps. 118 Beáti immaculáti (ut infra); *et, si tempus superest, dici potest Ps. 148* Laudáte Dóminum de cælis (sub n. 37); *in fine autem utriusque Psalmi dicitur:* Glória Patri, *etc.*

Psalmus 118.

[**116**] Beáti immaculáti in via: * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia ejus: * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ meæ, * ad custodiéndas justificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis: * in eo quod dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam: * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine: * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor: * et considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor: * non oblivíscar sermónes tuos.

Glória Patri.

Cum pervenerint ad ecclesiam, dicatur:

Ant. Hic accípiet. Ps. 23. Dómini est terra, et plenitúdo ejus, ut infra.

Psalmus 23.

[**117**] Dómini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, qui non accépit in vano ánimam suam, * nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? Dóminus fortis et potens: * Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc et semper: * et in sæcula sæculórum. Amen.

Ant. Hic accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo: quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

Postea Sacerdos dicit: Kýrie, eléison.
Chorus prosequitur: Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Sacerdos: Pater noster, *secreto.*
Interim corpus aspergit.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Me autem propter innocéntiam súscepísti.
℟. Et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens et mitíssime Deus, qui ómnibus párvulis renátis fonte baptísmatis, dum migrant a sæculo, sine ullis eórum méritis vitam íllico largíris ætérnam, sicut ánimæ hujus párvuli (-læ) hódie crédimus te fecísse: † fac nos, quæsumus, Dómine, per intercessiónem beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium Sanctórum tuórum hic purificátis tibi méntibus famulári, * et in paradíso cum beátis párvulis perénniter sociári. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Dum portatur ad tumulum, vel in eodem loco, si tunc non portetur dicitur:

Ant. Júvenes. Ps. 148. Laudáte Dóminum de cælis (vide sub n. 37).

Ant. Júvenes et vírgines, senes cum junióribus laudent nomen Dómini.

Kýrie, eléison, Christe, eléison, Kýrie, eléison.

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Sínite párvulos veníre ad me.

℟. Tálium est enim regnum cælórum.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, sanctæ puritátis amátor, qui ánimam huius párvuli (-læ) ad cælórum regnum hódie misericórditer vocáre dignátus es: dignéris étiam, Dómine, ita nobíscum misericórditer ágere; † ut méritis tuæ sanctíssimæ passiónis, et intercessióne beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium Sanctórum tuórum, * in eódem regno nos cum ómnibus Sanctis et eléctis tuis semper fácias congaudére: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Dinde Sacerdos corpus aspergat aqua benedicta, et thurificet, similiter et tumulum: postea corpus sepeliatur.

Cum autem revertuntur a sepulcro in ecclesiam, vel accedunt ad Altare, dicatur:

Ant. Benedícite Dóminum. Cant. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino, ut infra.

Canticum trium Puerorum.

Dan. 3, 57-88 et 56.

Benedícite, ómnia ópera Dómini Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cæli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino: * benedícite, stellæ cæli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino: * benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino: * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino: * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes et colles, Dómino: * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete, et ómnia, quæ movéntur in

aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino: * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ justórum, Dómino: * benedícite, sancti, et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánía, Azaría, Mísaël, Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu: * laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli: * et laudábilis et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

Ant. Benedícite Dóminum, omnes elécti ejus: ágite dies lætítiæ, et confitémini illi.

Deinde ante Altare dicit Sacerdos:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas: † concéde propítius;

ut, a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, * ab his in terra vita nostra muniátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono eamdem functionem peragente de Ordinarii loci vel Parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.

§ 4. – *De ritu servando in celebratione Matrimonii.*

[118] De hoc Sacramento locuti sumus in primo volumine (1074-1224), exponendo universam doctrinam catholicam quae ipsum respicit. Hanc doctrinam refert Rituale Romanum in Capite I, Tit. VII (de Matrimonio). Heic, ad commoditatem Sacerdotum, referimus integrum « Ritum celebrandi Matrimonii Sacramentum » prouti invenitur in Capite II eiusdem Tit. VII, nec non integrum Caput III in quo habetur Benedictio mulieris post partum, quae passim in paroeciis occurrit.

Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum.

Parochus Matrimonio adfuturus, publicationibus factis ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum in ecclesia, superpelliceo et stola alba indutus, adhibito uno saltem Clerico superpelliceo pariter, induto, qui librum et vas aquae benedictae cum aspersorio deferat, coram duobus saltem testibus, virum et mulierem ante altare genuflexos,

quos parentum vel propinquorum suorum praesentia cohonestari decet, de consensu in Matrimonium interroget, utrumque singillatim in hunc modum vulgari sermone:

Et primo quidem sponsum interroget:

N. Vis accípere *N.* hic præséntem in tuam legítimam uxórem juxta ritum sanctæ matris Ecclésiæ?

Respondeat sponsus:

Volo.

Mox Sacerdos sponsam interroget:

N. Vis accípere *N.* hic præséntem in tuum legítimum marítum juxta ritum sanctæ matris Ecclésiæ.

Respondeat sponsa:

Volo.

Nec sufficit consensus unius sed debet esse amborum, et expressus verbis, si loqui possint, aut secus aequipollentibus signis, sive fiat per se, sive per procuratorem.

Mutuo autem contrahentium consensu intellecto, Sacerdos iubeat eos invicem iungere dexteras, et dicat:

Ego conjúngo vos in matrimónium. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque loci ritum.

Postea eos aspergat aqua benedicta.

Mox benedicat anulum, dicens:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Béne ✠ dic, Dómine, ánulum hunc, quem nos in tuo nómine bene ✠ dícimus: ut, quæ eum gestáverit, fidelitátem íntegram suo sponso tenens, in pace et voluntáte tua permáneat, atque in mútua caritáte semper vivat. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Sacerdos aspergat anulum aqua benedicta; et sponsus acceptum anulum de manu Sacerdotis imponat in digito anulari sinistrae manus sponsae, Sacerdote dicente:

In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Mox Sacerdos subiungat:

℣. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerúsalem.

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eos.
℣. Esto eis, Dómine, turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Réspice, quæsumus, Dómine, super hos fámulos tuos: et institútis tuis, quibus propagatiónem humáni géneris ordinásti, benígnus assíste; ut qui te auctóre jungúntur, te auxiliánte servéntur. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

His expletis, si benedicendae sint nuptiae, Parochus Missam pro Sponso et Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, servatis omnibus quae ibi praescribuntur.

Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis Matrimoniis, dictoque pro singulis a Parocho Ego conjúngo vos in matrimónium, *etc., benedictiones anulorum et reliquae benedictiones plurali numero semel fiunt.*

Ceterum, sicubi aliae laudabiles consuetudines et caeremoniae in celebrando Matrimonii Sacramento adhibentur, eas convenit retineri.

[119] De benedictione mulieris post partum.

Si qua puerpera post partum, iuxta piam ac laudabilem consuetudinem, ad ecclesiam venire voluerit, pro incolumitate sua Deo gratias actura, petieritque a Sacerdote

benedictionem, ipse superpelliceo et stola alba indutus, cum ministro aspersorium deferente, ad fores ecclesiae accedat, ubi illam foris ad limina genuflectentem et candelam accensam in manu tenentem, aqua benedicta aspergat, deinde dicat:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

Ant. Haec accípiet. Ps. 23. Dómini est terra (vide sub n. 117).

Et repetitur Antiphona:

Hæc accípiet benedictiónem a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo: quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

Deinde porrigens ad manum mulieris extremam partem stolae, ex humero sinistro pendentem, eam introducit in ecclesiam, dicens:

Ingrédere in templum Dei, adóra Fílium beátæ Maríæ Vírginis, qui tibi fecunditátem tríbuit prolis.

Et ipsa, ingressa, genuflectit coram Altari et orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis; tunc Sacerdos dicit:

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.
Pater noster, *secreto usque ad*
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.
℣. Salvam fac ancíllam tuam, Dómine.
℟. Deus meus, sperántem in te.

℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto.
℟. Et de Sion tuére eam.
℣. Nihil proficiat inimícus in ea.
℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum fidélium pariéntium dolóres in gáudium vertísti; réspice propítius super hanc fámulam tuam, ad templum sanctum tuum pro gratiárum actióne lætam accedéntem, et præsta; ut post hanc vitam, ejúsdem beátæ Maríæ méritis et intercessióne, ad ætérnæ beatitúdinis gáudia cum prole sua perveníre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Deinde illam aspergit iterum aqua benedicta, dicens:

Pax et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti, descéndat super te, et máneat semper.
℟. Amen.

Praedicta benedictio mulieris post partum fieri debet a Parocho, si expetitus ipse fuerit: potest autem fieri a quo-

cumque Sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque ecclesia vel oratorio publico, certiore facto Superiore ecclesiae.

NB. – In prima parte Appendicis Ritualis, sub articulo 4 invenitur formula Benedictionis nuptialis extra Missam, quando Missa non dicitur; nec non Preces recitandae extra Missam super coniuges, quando Benedictio nuptialis non permittitur.

[120] Art. III.

Benedictiones cummuniores.

[121] § 1. – *Ordo ad faciendam aquam benedictam.*

Diebus Dominicis, et quandocumque opus sit, praeparato sale et aqua munda benedicenda in ecclesia, vel in sacristia, Sacerdos, superpelliceo et stola violacea indutus, primo dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde absolute incipit exorcismum salis.

Exorcízo te, creatúra salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum, qui te per Eliséum Prophétam in aquam mitti jussit, ut sanarétur sterílitas aquæ: ut efficiáris sal exorcizátum in salútem credéntium; et sis ómnibus suméntibus te sánitas ánimæ et córporis; et effúgiat, atque discédat a loco, in quo aspérsum fúeris, omnis phantásia, et nequítia, vel versútia diabólicæ fraudis,

omnísque spíritus immúndus, adjurátus per eum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus. *Oratio.*

Imménsam cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus, ut hanc creatúram salis, quam in usum géneris humáni tribuísti, bene ✠ dícere et sancti ✠ ficáre tua pietáte dignéris: ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis; et quidquid ex eo tactum vel respérsum fúerit, cáreat omni immundítia, omníque impugnatióne spiritális nequítiæ. Per Dóminum. ℟. Amen.

Exorcismus aquae: et dicitur absolute:

Exorcízo te, creatúra aquæ, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti: ut fias aqua exorcizáta ad effugándam omnem potestátem inimíci, et ipsum inimícum eradicáre et explantáre váleas cum ángelis suis apostáticis, per virtútem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi: qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus. *Oratio.*

Deus, qui ad salútem humáni géneris, máxima quæque sacraménta in aquárum substántia

condidísti: adésto propítius invocatiónibus nostris, et eleménto huic multímodis purificatiónibus præparáto virtútem tuæ bene ✠ dictiónis infúnde: ut creatúra tua, mystériis tuis sérviens, ad abigéndos dæmones, morbósque pelléndos, divínæ grátiæ sumat efféctum; ut quidquid in dómibus vel in locis fidélium, hæc unda respérserit, cáreat omni immundítia, liberétur a noxa: non illic resídeat spíritus péstilens, non aura corrúmpens: discédant omnes insídiæ laténtis inimíci; et si quid est, quod aut incolumitáti habitántium ínvidet, aut quiéti, aspersióne hujus aquæ effúgiat: ut salúbritas per invocatiónem sancti tui nóminis expetíta, ab ómnibus sit impugnatiónibus defénsa. Per Dóminum.

℟. Amen.

Hic ter mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:

Commíxtio salis et aquæ páriter fiat, in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *Oratio.*

Deus, invíctæ virtútis auctor, et insuperábilis impérii Rex, ac semper magníficus triumphátor: qui advérsæ dominatiónis vires réprimis: qui inimíci rugiéntis sævítiam súperas:

qui hostíles nequítias poténter expúgnas: te, Dómine, treméntes et súpplices deprecámur, ac pétimus: ut hanc creatúram salis et aquæ dignánter aspícias, benígnus illústres, pietátis tuæ rore sanctífices; ut, ubicúmque fúerit aspérsa, per invocatiónem sancti nóminis tui, omnis infestátio immúndi spíritus abigátur: terrórque venenósi serpéntis procul pellátur: et præséntia Sancti Spíritus nobis, misericórdiam tuam poscéntibus, ubíque adésse dignétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

[122] § 2. – *Benedictio Mensae.*

Ante prandium.

Sacerdos benedicturus mensam incipit: Benedícite, *et alii repetunt:* Benedícite.

Deinde dicit:

℣. Oculi ómnium.

Et alii prosequuntur:

In te sperant, Dómine, et tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne.

Glória Patri, *etc.*

Kýrie, eléison, Christe, eléison, Kýrie, eléison.

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

Postea Sacerdos dicit:

Orémus.

Bénedic, Dómine, nos, et hæc tua dona, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Lector:

Jube, domne, benedícere.

Benedictio: Mensæ cæléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

Post prandium.

Aguntur gratiae hoc modo. Dicto a Lectore:

Tu autem, Dómine, miserére nobis.

℟. Deo grátias.

Omnes surgunt. Sacerdos incipit:

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua.

℟. Et sancti tui benedícant tibi.

℣. Glória Patri, *etc.*

Postea Sacerdos absolute dicat:

Agimus tibi grátias omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde alternatim dic. Ps. Miserére, *vel Ps.* Laudáte Dóminum, *In fine.* Glória Patri, *etc.*

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus.

℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore.

℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea.

℟. Audiant mansuéti, et læténtur.

℣. Magnificáte Dóminum mecum.

℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Deinde sine Orémus:

Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.

℟. Amen.

Pater noster, *secreto.*

Quo finito, dicit Sacerdos:

Deus det nobis suam pacem.

℟. Amen.

Ante coenam.

Sacerdos benedicturus mensam incipit: Benedícite *et alii repetunt:* Benedícite.

Deinde Sacerdos incipit. ℣. *Et alii prosequuntur:*

Edent páuperes, et saturabúntur, et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Glória Patri, *etc.*

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster, *secreto usque ad*

℣. Et ne nos, *etc.* Orémus: Bénedic, Dómine, *ut supra in prandio.*

Jube, domne benedícere.

Benedictio: Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ.

℟. Amen.

In finae coenae.

Dicitur:

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus.

℟. Escam dedit timéntibus se.

Glória Patri, *etc.*

Sacerdos dicat:

Benedíctus Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis. Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde alternatim dic. Ps. Laudáte Dóminum, *et reliq. ut supra.*

Quando semel comeditur, omnia dicuntur ut in cœna.

Prædictus modus benedicendi mensam, et agendi gratias, servatur omni tempore, praeterquam diebus infrascriptis, quibus Versiculi et Psalmi tantum variantur.

In Nativitate Domini usque ad coenam Vigiliae Epiphaniae exclusive, dicatur:

℣. Verbum caro factum est, allelúja.
℟. Et habitávit in nobis, allelúja.
Glória Patri, *etc.*

In fine dicitur:

℣. Notum fecit Dóminus, allelúja.
℟. Salutáre suum, allelúja.

Alia ut supra Ps. 97. Cantáte Dómino... quia; *vel* Laudáte Dóminum, 83: *qui Psalmus semper ad beneplacitum dici potest etiam in aliis solemnitatibus.*

In Epiphania et per totam Octavam:

℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent, allelúja.
℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent, allelúja.
Glória Patri, *etc.*

In fine dicitur:

℣. Omnes de Saba venient, allelúja.
℟. Aurum et thus deferéntes, allelúja.
Glória Patri, *etc.*

Ps. 71. Deus judícium; *vel* Laudáte Dóminum omnes Gentes. 83.

Feria V in Coena Domini dicitur absolute, et sine nota:

℣. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem. *Deinde* Pater noster *totum secreto.*

Quo dicto, sine pronuntiatione aliqua Sacerdos signo Crucis benedicit mensam: nec dicitur Jube, domne, *nec* Tu autem.

In fine repetitur: Christus factus est, ut supra. Postea Psalm. Miserére. 49. *Quo finito sine* ℣. Glória Patri, *secreto dicatur:* Pater noster.

Deinde Sacerdos dicit absolute Orationem:

Oratio.

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum.

Et non pronuntiatur. Qui tecum vivit, *nec* Fidélium ánimæ, *sed secreto dicitur* Pater noster, *nec additur* Deus det nobis suam pacem.

In Parasceve eodem modo fit sicut in Coena Domini, sed additur. ad. ℣. Christus factus est: Mortem autem crucis.

Sabbato sancto ad benedicendum mensam dicitur:

℣. Benedícite.

℟. Benedícite.

℣. Véspere autem Sábbati, quæ lucéscit in prima Sábbati, allelúja.

℟. Venit María Magdaléne, et áltera María vidére sepúlcrum, allelúja.

Glória Patri, *etc.*

In fine repetitur ℣. Véspere, *ut supra, cum* Glória Patri. *Ps.* Laudáte Dóminum omnes Gentes, 83, *cum* Glória. Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison. *et alia ut supra, in prima Benedictione.*

In die Paschae, et deinceps usque ad coenam sequentis Sabbati, ad benedicendam mensam, dicitur:

℣. Hæc dies quam fecit Dóminus, allelúja.
℟. Exsultémus et lætémur in ea, allelúja.
Glória Patri, *etc.*

In fine repetitur: Hæc dies, *cum* Glória Patri. *Ps.* Confitémini. 12.

In Ascensione Domini usque ad Vigiliam Pentecosten exclusive:

℣. Ascéndit Deus in jubilatióne, allelúja.
℟. Et Dóminus in voce tubæ, allelúja.
Glória Patri, *etc.*

In fine dicitur:

℣. Ascéndens Christus in altum, allelúja.
℟. Captívam duxit captivitátem, allelúja.
Glória Patri, *etc.*

Ps. 46. Omnes Gentes pláudite, *vel Psalmus* Laudáte Dóminum omnes Gentes, 83.

In Pentecoste a Vigilia eiusdem inclusive usque ad coenam sequentis Sabbati exclusive:

℣. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúja.
℟. Et hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, allelúja.
Glória Patri, *etc.*

In fine dicitur:

℣. Repléti sunt omnes Spíritu sancto, allelúja.

℟. Et cœpérunt loqui, allelúja.

Glória Patri, *etc.*

Psalm. 47. Magnus Dóminus, *vel Ps.* Laudáte Dóminum, 83.

[123] § 3. – *Benedictio domorum in Sabbato Sancto et reliquo Tempore Paschali.*

Sacerdos ingrediens domum dicit:

℣. Pax huic dómui.

℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Deinde aspergens loca praecipua domus, et habitantes in ea, dicit Antiphonam:

Vidi aquam egrediéntem de templo, a látere dextro, allelúja: et omnes, ad quos pervénit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent: allelúja, allelúja.

Ps. 117, 1. Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

℣. Glória Patri, *etc.*

Repetitur Antiphona: Vidi aquam, *etc.*

Deinde dicit:

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, allelúja.

℟. Et salutáre tuum da nobis, allelúja.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Exáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: et sicut domos Hebræórum in éxitu de Ægýpto, agni sánguine linítas (quod pascha nostrum, in quo immolátus est Christus, figurábat), ab Angelo percutiénte custodísti; ita míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis, qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, atque defréndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

[**124**] § 4. – *Benedictio Loci vel Domus.*

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Béne ✠ dic, Dómine, Deus omnípotens, locum istum (*vel* domum istam): ut sit in eo (ea) sánitas, cástitas, victória, virtus, humílitas, bónitas, et mansuetúdo, plenitúdo legis, et gratiárum áctio Deo Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto; et hæc benedíctio máneat super hunc locum (*vel* super hanc domum) et super habi-

tántes in eo (ea) nunc et in ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Alia benedictio Domus.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Te Deum Patrem omnipoténtem supplíciter exorámus pro hac domo, et habitatóribus ejus, ac rebus: ut eam bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre, ac bonis ómnibus ampliáre dignéris: tríbue eis, Dómine, de rore cæli abundántiam, et de pinguédine terræ vitæ substántiam, et desidéria voti eórum ad efféctum tuæ miseratiónis perdúcas. Ad intróitum ergo nostrum bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris hanc domum, sicut benedícere dignátus es domum Abraham, Isaac, et Jacob: et intra paríetes domus istíus Angeli tuæ lucis inhábitent, eámque, et ejus habitatóres custódiant. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

[**125**] § 5. – *Benedictio thalami.*

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Béne ✠dic, Dómine, thálamum hunc: ut omnes habitántes in eo, in tua pace consístant, et in tua voluntáte permáneant, et senéscant, et multiplicéntur in longitúdinem diérum, et ad regna cælórum pervéniant. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

[**126**] § 6. – *Benedictio Imaginis Sacrae.*

Privatim haec benedictio a quolibet Sacerdote fieri potest sine ulla Ordinarii licentia.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui Sanctórum tuórum imágines (*sive* effígies) sculpi, aut pingi non réprobas, ut quóties illas óculis córporis

intuémur, tóties eórum actus et sanctitátem ad imitándum memóriæ óculis meditémur: hanc, quæsumus, imáginem (*seu* sculptúram) in honórem et memóriam unigéniti Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi (*vel* beatíssimæ Vírginis Maríæ, matris Dómini nostri Jesu Christi, *vel* beáti N. Apóstoli tui, *vel* Mártyris, *vel* Pontíficis, *vel* Confessóris, *vel* beátæ N. Vírginis, *vel* Mártyris) adaptátam bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris: et præsta; ut quicúmque coram illa unigénitum Fílium tuum (*vel* beatíssimam Vírginem, *vel* gloriósum Apóstolum, *vel* Mártyrem, *vel* Pontíficem, *vel* Confessórem, *vel* gloriósam Vírginem, *vel* Mártyrem) supplíciter cólere et honoráre studúerit, illíus méritis et obténtu a te grátiam in præsénti, et ætérnam glóriam obtíneat in futúrum. Per (eúmdem) Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

[127] § 7. – *Benedictio ad omnia.*

Haec benedictionis formula adhiberi potest a quovis Sacerdote pro omnibus rebus, quarum specialis benedictio in Rituali non habetur.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, cujus verbo sanctificántur ómnia, bene ✠ dictiónem tuam effúnde super creatúram istam (creatúras istas): et præsta, ut, quisquis ea (eis) secúndum legem et voluntátem tuam cum gratiárum actióne usus fúerit, per invocatiónem sanctíssimi nóminis tui, córporis sanitátem, et ánimæ tutélam, te auctóre, percípiat. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Et aspergatur (vel aspergantur) aqua benedicta.

[128] § 8. – *Benedictio communis super personas.*

Benedíctio Dei omnipoténtis: Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti, descéndat super te (vos) et máneat semper.

℟. Amen.

[129] § 9. – *Dum sacra Reliquia alicuius Sancti osculanda porrigitur.*

Per intercessiónem S. *N.* líberet te Deus ab omni malo.

℟. Amen.

Appendix prima.

Instructio pro Sacerdote pro breviori formula in consecratione altarium.

[130] *Sacerdos, Apostolicae Sedis nomine legitime delegatus, certas Sanctorum Reliquias in ara reponat, iis tantummodo caeremoniis servatis, quae in Pontificali Romano praescribuntur dum in sepulchro reconduntur Reliquiae et superponitur lapis; videlicet, ut sancto Chrismate signet Confessionem, sive sepulchrum; interim dicens Orationem:*

Conse ✠ crétur et sancti ✠ ficétur hæc tábula (*vel* hic lapis) per istam unctiónem, et Dei benedictiónem. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti.

Postea, reconditis Reliquiis cum tribus granis thuris et superposito lapideo operculo, ac rite per caementum firmato, dicat:

Orémus.

Deus, qui ex ómnium cohabitatióne Sanctórum ætérnum Majestáti Ţuæ condis habitáculum, da ædificatióni tuæ increménta cæléstia: et præsta, ut quorum hic Relíquias pio amóre compléctimur, eórum semper méritis adjuvémur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Nihil aliud addendum.

Appendix secunda.

Formula pro Sacerdote consecrandi patenam et calicem.

[131] *In Patenae consecratione parandum est sanctum Chrisma, et vas aquae benedictae cum aspersorio. Et dicitur:*

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.

Orémus, fratres caríssimi, ut divínæ grátiæ benedíctio cónsecret, et sanctíficet hanc Paténam, ad confringéndum in ea corpus Dómini nostri Jesu Christi, qui crucis passiónem sustínuit pro nostrum ómnium salúte.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui legálium institútor es hostiárum, quique inter eas conspérsam similáginem deférri in paténis aureis et argénteis ad altáre tuum jussísti: bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris hanc Paténam, in administratiónem Eucharístiæ Jesu Christi Fílii tui, qui pro nostra omniúmque salúte seípsum tibi Deo Patri in patíbulo crucis elégit immolári, ac tecum vivit et regnat in

unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tum facit cum pollice dexterae manus Chrismate intincto crucem super Patenam, ab ora in oram, et mox linit, et perungit totam eius superficiem cum ipso pollice, dicens:

Conse ✠ cráre, et sancti ✠ ficáre dignéris, Dómine Deus, paténam hanc per istam unctiónem, et nostram bene ✠ dictiónem, in Christo Jesu Dómino nostro: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde procedit ad benedictionem Calicis, dicens:

Orémus, fratres caríssimi, ut Deus et Dóminus noster Cálicem istum in usum ministérii sui consecrándum cæléstis grátiæ inspiratióne sanctíficet, et ad humánam consecratiónem plenitúdinem divíni favóris accómmodet. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dignáre, Dómine Deus noster, Cálicem hunc bene ✠ dícere, in usum ministérii tui pia famulátus devotióne formátum, et ea sancti ✠ fica-

tióne perfúndere, qua Melchísedech fámuli tui sacrátum cálicem perfudísti, et quod arte vel metálli natúra éffici non potest altáribus tuis dignum, fiat tua bene ✠ dictióne sanctificátum. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde facit crucem cum pollice dexterae manus de Chrismate intra ipsum Calicem a labio eius in labium, et mox linit, et perungit interius ipsum totum, dicens:

Conse ✠ cráre, et sancti ✠ ficáre dignéris, Dómine Deus, Cálicem hunc per istam unctiónem, et nostram bene ✠ dictiónem, in Christo Jesu Dómino nostro: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tunc dicit super Calicem et Patenam:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, mánibus nostris, quæsumus opem tuæ benedictiónis infúnde, ut per nostram bene ✠ dictiónem hoc vásculum et Paténa sanctificéntur, et Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi novum sepúlchrum sancti Spíritus grátia efficiántur. Per eumdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejús-

d m Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Demum aspergit Calicem et Patenam cum aqua benedicta, quod fieri debet in omnibus quarumlibet benedictionibus rerum. Quo facto abstergit Patenam et Calicem cum mica panis, et bene mundatur; deinde extersiones proiiciuntur in ignem, vel sacrarium.

ADDITAMENTUM. [1]

Ordo Baptismi Parvulorum.

[93 bis] *Sacerdos interrogat infantem (si plures sint baptizandi, singulariter singulos):*

N. Quid petis ab Ecclésia Dei?

Patrinus respondet:

Fidem.

Sacerdos:

Fides, quid tibi præstat?

Patrinus respondet:

Vitam ætérnam.

Sacerdos (etiam singulariter singulis):

Si ígitur vis ad vitam íngredi, serva mandáta. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo,

---

[1] Vide pag. 119.

et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua, et próximum tuum sicut teípsum.

Deinde ter exsufflat leniter in faciem infantis, et dicit semel (*singulariter singulis*):

Exi ab eo (ea), immúnde spíritus, et da locum Spirítui Sancto Paráclito.

Postea pollice facit signum crucis in fronte, et in pectore infantis, dicens (*singulariter singulis*):

Accipe signum Crucis tam in fron ✠ te, quam in cor ✠ de, sume fidem cæléstium præceptórum: et talis esto móribus, ut templum Dei jam esse possis.

Orémus. (*In plurali pro pluribus*) *Oratio.*

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: et hunc Eléctum tuum *N.* (hanc Eléctam tuam *N.*) Crucis Domínicæ impressióne signátum (-am) perpétua virtúte custódi: ut, magnitúdinis glóriæ tuæ rudiménta servans, per custódiam mandatórum tuórum ad regeneratiónis glóriam perveníre mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde imponit manum super caput infantis (*singulorum infantium*), *et postea manum extensam tenens dicit:*

Orémus. (*In plurali pro pluribus*) *Oratio.*

Omnípotens, sempitérne Deus, Pater Dómini nostri Jesu Christi, respícere dignáre super

hunc fámulum tuum *N.*, quem (hanc fámulam tuam *N.*, quam) ad rudiménta fídei vocáre dignátus es: omnem cæcitátem cordis ab eo (ea) expélle: disrúmpe omnes láqueos sátanæ, quibus fúerat colligátus (-a): áperi ei, Dómine, jánuam pietátis tuæ, ut, signo sapiéntiæ tuæ imbútus (-a), ómnium cupiditátum fœtóribus cáreat, et ad suávem odórem præceptórum tuórum lætus (-a) tibi in Ecclésia tua desérviat et proficiat de die in diem. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Sacerdos benedicit sal, quod semel benedictum alias ad eumdem usum deservire potest.

Benedictio salis.

Exorcízo te, creatúra salis, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in caritáte Dómini nostri Jesu ✠ Christi, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti. Exorcízo te per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, per Deum ✠, qui te ad tutélam humáni géneris procreávit, et pópulo veniénti ad credulitátem per servos suos consecrári præcépit, ut in nómine sanctæ Trinitátis efficiáris salutáre sacraméntum ad effugándum inimícum. Proínde rogámus te, Dómine Deus noster, ut hanc creatúram salis sanctificándo sanctí ✠ fices, et benedicéndo bene ✠ dícas, ut fiat ómnibus accipiéntibus perfécta medi-

cína, pérmanens in viscéribus eórum, in nómine ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Deinde immittit modicum salis benedicti in os infantis, dicens (singulariter singulis):

N. Accipe sal sapiéntiæ: propitiátio sit tibi in vitam ætérnam. ℟. Amen.

Sacerdos:

Pax tecum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. *(In plurali pro pluribus) Oratio.*

Deus patrum nostrórum, Deus univérsæ cónditor veritátis, te súpplices exorámus, ut hunc fámulum tuum *N.* (hanc fámulam tuam *N.*) respícere dignéris propítius, et hoc primum pábulum salis gustántem, non diútius esuríre permíttas, quo minus cibo expleátur cælésti, quátenus sit semper spíritu fervens, spe gaudens, tuo semper nómini sérviens. Perduc eum (eam), Dómine, quæsumus, ad novæ regeneratiónis lavácrum, ut cum fidélibus tuis promissiónum tuárum ætérna prǽmia cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Exorcízo te, immúnde spíritus, in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti, ut éxeas, et recédas ab hoc fámulo (hac fámula)

Dei *N.*: Ipse enim tibi ímperat, maledícte damnáte, qui pédibus super mare ambulávit, et Petro mergénti déxteram porréxit.

Ergo, maledícte diábole, recognósce senténtiam tuam, et da honórem Deo vivo et vero, da honórem Jesu Christi Fílio ejus, et Spirítui Sancto et recéde ab hoc fámulo (hac fámula) Dei *N.*, quia istum (istam) sibi Deus et Dóminus noster Jesus Christus ad suam sanctam grátiam, et benedictiónem, fontémque Baptísmatis vocáre dignátus est.

Hic pollice in fronte signat infantem, dicens (*singulariter singulis*):

Et hoc signum sanctæ Cru ✠ cis, quod nos fronti ejus damus, tu, maledícte diábole, numquam áudeas violáre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Mox imponit manum super caput infantis (*singulorum infantium*), *et postea manum extensam tenens dicit:*

Orémus. *(in plurali pro pluribus) Oratio.*

Ætérnam, ac justíssimam pietátem tuam déprecor, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, auctor lúminis et veritátis, super hunc fámulum tuum *N.* (hanc fámulam tuam *N.*), ut dignéris eum (eam) illumináre lúmine intelligéntiæ tuæ: munda eum (eam), et sanctífica: da ei sciéntiam veram, ut, dignus (-a) grátia Baptí-

smi tui efféctus (-a), téneat firmam spem, consílium rectum, doctrínam sanctam. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Postea Sacerdos imponit extremam partem stolae pendentem a suo humero sinistro super primum infantem, et introducit eum (quem sequuntur ceteri) in ecclesiam, dicens (in plurali pro pluribus):

N. Ingrédere in templum Dei, ut hábeas partem cum Christo in vitam ætérnam.

℟. Amen.

Cum fuerint ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad Fontem, cum susceptoribus coniunctim clara voce dicit:

Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ. Et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: qui concéptus est de Spíritu Sancto, natus ex María Vírgine, passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus: descéndit ad ínferos; tértia die resurréxit a mórtuis; ascéndit ad cælos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Pater noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra. Panem

nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris. Et ne nos indúcas in tentatiónem: sed líbera nos a malo. Amen.

Ac deinde, antequam accedat ad Baptisterium, versis renibus ostio cancellorum Baptisterii, dicit (*in plurali pro pluribus*):

Exorcismus.

Exorcízo te, omnis spíritus immúnde, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠ Christi Fílii ejus, Dómini et Júdicis nostri, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti, ut discédas ab hoc plásmate Dei *N.*, quod Dóminus noster ad templum sanctum suum vocáre dignátus est, ut fiat templum Dei vivi, et Spíritus Sanctus hábitet in eo. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem.

℟. Amen.

Postea Sacerdos pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures et nares infantis: tangendo vero aurem dexteram et sinistram, dicit (*singulariter singulis*):

Ephpheta, quod est, Adaperíre.

Deinde tangit nares dicens:

In odórem suavitátis. Tu autem effugáre, diábole; appropinquábit enim judícium Dei.

Postea interrogat baptizandum nominatim, dicens (*singulariter singulis*):

N. Abrenúntias sátanæ?

Respondet patrinus:

Abrenúntio.

Sacerdos:

Et ómnibus opéribus ejus?

Patrinus:

Abrenúntio.

Sacerdos:

Et ómnibus pompis ejus?

Patrinus:

Abrenúntio.

Deinde Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, et infantem ungit in pectore, et inter scapulas in modum crucis, dicens semel (singulariter singulis):

Ego te línio ✠ óleo salútis in Christo Jesu Dómino nostro, ut hábeas vitam ætérnam.

℟. Amen.

Subinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili.

Stans ibidem extra cancellos, deponit stolam violaceam, et sumit stolam albi coloris. Tunc ingreditur Baptisterium, in quod intrat etiam patrinus cum infante.

Sacerdos ad Fontem interrogat, expresso nomine, baptizandum (singulos baptizandos), patrino respondente:

N. Credis in Deum Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ?

℟. Credo.

Credis in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, natum, et passum?

℟. Credo.

Credis et in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, et vitam ætérnam?

℟. Credo.

Subinde, expresso nomine baptizandi, Sacerdos dicit (*singulariter singulis*):

N. Vis baptizári?

Respondet patrinus:

Volo.

Tunc patrino, vel matrina, vel utroque (*si ambo admittantur*) *infantem tenente, Sacerdos vasculo, seu urceolo accipit aquam baptismalem, et eam ter fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte, et attente, dicit* (*singulariter singulis*):

N. Ego te baptízo in nómine Pa ✠ tris, *fundit primo*, et Fí ✠ lii, *fundit secundo*, et Spíritus ✠ Sancti, *fundit tertio.*

Ubi autem est consuetudo baptizandi per immersionem, Sacerdos accipit infantem, et, advertens ne laedatur, caute immergit, et trina immersione baptizat, et semel tantum dicit:

N. Ego te baptízo in nómine Pa ✠ tris, et Fílii, et Spíritus ✠ Sancti.

Mox patrinus, vel matrina, vel uterque simul infantem de sacro Fonte levant, suscipientes illum de manu Sacerdotis.

Si vero dubitetur, an infans fuerit baptizatus, utatur hac forma:

Si non es baptizátus (-a), ego te baptízo in

nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti.

Deinde intingit pollicem in sacro Chrismate, et ungit infantem in summitate capitis in modum crucis, dicens (*singulariter singulis*):

Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui te regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, quique dedit tibi remissiónem ómnium peccatórum (*hic inungit*), ipse te líniat ✠ Chrísmate salútis in eódem Christo Jesu Dómino nostro in vitam ætérnam.

℟. Amen.

Sacerdos:

Pax tibi.

℟. Et cum spíritu tuo.

Tum bombacio, vel re simili, abstergit pollicem, et locum inunctum, et imponit capiti eius linteolum candidum loco vestis albae, dicens (*singulariter singulis*):

Accipe vestem cándidam, quam pérferas immaculátam ante tribúnal Dómini nostri Jesu Christi, ut hábeas vitam ætérnam.

℟. Amen.

Postea dat ei, vel patrino, candelam accensam, dicens (*singulariter singulis*):

Accipe lámpadem ardéntem, et irreprehensíbilis custódi Baptísmum tuum: serva Dei mandáta, ut, cum Dóminus vénerit ad núptias, possis

occúrrere ei una cum ómnibus Sanctis in aula cælésti, et vivas in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Postremo dicit (*in plurali pro pluribus*):

N. Vade (Ite) in pace, et Dóminus sit tecum (vobíscum).

℟. Amen.

Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono Baptismum solemnem ministrante, qui tamen sale et aqua utetur a Sacerdote ad hunc usum rite prius benedictis.

PARS TERTIA.

RITUS PRO ORDINIBUS CONFERENDIS

Saepius accidit ut Ordinandi, dum Episcopus sacrae Ordinationis ritum peragit, indifferentes adsistant, praecipue si Ordinatio ob numerum ordinandorum protrahatur. Cum autem perutile sit, quod et ipsi, quae Ordinum collationem respiciunt, plene cognoscant, visum est, quae in *Pontificali romano* de Ordinatione habentur huc reportare. Hac ratione completur tractatio de Ordinibus: siquidem et spiritus Ecclesiae Christi, et rituales eiusdem Ecclesiae praescriptiones clarius elucent.

[132] *Cum igitur ordinationes faciendae sunt, per Sacristam, seu alium ad quem spectat, praeparantur omnia quae necessaria sunt pro Missa Pontificali. Et demum cum tempus ordinationis instat, hora competenti, Pontifex Cappa magna indutus, Capellano illam post eum deferente, venit ad Ecclesiam ubi ordinationes fieri debent, et accedens ante altare, genuflexus ibidem aliquamdiu orat. Deinde vadit ad sedem ubi paramenta capere consuevit; vel, si non sit in Ecclesia sua, ad faldistorium, ad cornu Epistolae sibi paratum, ubi sedens accipit omnia paramenta Pontificalia coloris tempori convenientis, et mitram simplicem, dicens Psalmum:* Quam dilécta, *etc.*

Pontifex sic paratus, baculum Pastoralem in sinistra tenens, accedit ad gradus altaris, ubi depositis baculo et mitra, facta altari reverentia cum profunda capitis inclinatione, facit cum Ministris confessionem; interim cantatur a Choro Introitus, et Kýrie, eléison. *Finita confessione, Pontifex ascendit ad altare, illud in medio osculatur et textum Evangelii ad sinistram: incensat altare more solito, resumit mitram, et revertitur ad sedem, seu ad faldistorium, ad cornu Epistolae; ubi, deposita mitra et versa facie ad altare, oblato sibi per Ministrum libro, ex eo legit Introitum et* Kýrie, eléison. *Quibus dictis, sedet cum mitra donec perficiatur a Choro ultimum* Kýrie, eléison. *Quo finito, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium, ante medium altaris sibi praeparatum, accedit, et in illo sedet, renibus altari versis. Tum Archidiaconus vocat omnes ordinandos, dicens:* Accédant omnes qui ordinándi sunt. *Quibus ante altare coram Pontifice genuflexis et in modum coronae dispositis, Archidiaconus publice interrogat omnes si sint aliqui qui forte non sint confirmati; quia non debent ad ordinationem accedere, nisi prius confirmentur. Et, si aliqui confirmandi erunt, tunc depositis Pontifex annulis et chirothecis, lavat manus, reassumit annulos et confirmat prout habetur in Pontificali; vel, si non erunt aliqui confirmandi, palam interdicit per unum ex suis, sub his verbis:*

Reverendíssimus in Christo Pater, et Dóminus, Dóminus, *N.*, Dei et Apostólicæ Sedis grátia Epíscopus *N.*, sub excommunicatiónis pœna præcipit, et mandat ómnibus, et síngulis, pro suscipiéndis Ordínibus hic præséntibus, ne quis forsan eórum irreguláris, aut álias a jure, vel ab hómine excommunicátus, interdíctus, suspénsus, spúrius, infámis, aut álias a jure prohíbitus,

sive ex aliéna diœcési oriúndus sine licéntia sui Epíscopi, aut non descríptus, examinátus, approbátus et nominátus, ullo pacto áudeat ad suscipiéndos Ordines accédere; et quod nullus ex Ordinátis discédat, nisi Missa finíta, et benedictióne Pontíficis accépta.

Demum ad Ordinationem procedat.

[133] DE CLERICO FACIENDO.

Clericus fieri potest etiam extra Missarum solemnia, quocumque die, hora et loco.

Pro Clericis ordinandis, parentur forfices pro incidendis capillis, et bacile pro illis imponendis. Et quilibet ordinandorum habere debet suum superpelliceum super brachium sinistrum, et candelam in manu dextera. Et vocantur omnes Tonsurandi nominatim, et singillatim, per Notarium, et quilibet respondet: Adsum.

Quibus ante altare coram Pontifice in faldistorio cum mitra sedente genuflexis, Pontifex surgit cum mitra, et dicit:

℟. Sit nomen Dómini benedíctum.

℣. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℟. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℣. Qui fecit cælum et terram.

Orémus, fratres caríssimi, Dóminum nostrum Jesum Christum, pro his fámulis suis, qui ad deponéndum comas cápitum suórum pro ejus amóre festínant, ut donet eis Spíritum sanctum qui hábitum religiónis in eis perpétuum consérvet, et a mundi impedimento ac sæculári desidério

corda eórum deféndat; ut, sicut immutántur in vúltibus, ita déxtera manus ejus virtútis tríbuat eis increménta, et ab omni cæcitáte spirituáli et humána óculos eórum apériat, et lumen eis ætérnæ grátiæ concédat. Qui vivit et regnat cum Deo Patre, in unitáte ejúsdem Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

Post haec, sedente Pontifice, schola inchoat et prosequitur Antiphonam et Psalmum:

Ant. Tu es, Dómine, qui restítues hereditátem meam mihi.

Psalmus 15.

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te * dixi Dómino: Deus meus es tu; quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Repetitur tota Antiphona.

Tu es, Dómine, *etc.*

Incoepto Psalmo, Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet, in fronte, in occipitio, et ad utramque aurem, deinde in

medio capitis, aliquot crines capillorum, et in bacile deponit; et quilibet, cum tondetur, dicit:

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei: * tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

Omnibus tonsis, mitra deposita, surgit Pontifex, et stans versus ad illos, dicit:

Orémus.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus; ut hi fámuli tui, quorum hódie comas cápitum pro amóre divíno deposúimus, in tua dilectióne perpétuo máneant; et eos sine mácula in sempitérnum custódias. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Tum schola inchoat et prosequitur Antiphonam sequentem. Qua incoepta, Pontifex sedet cum mitra.

Ant. Hi accípient benedictiónem a Dómino; et misercórdiam a Deo salutári suo: quia haec est generátio quæréntium Dóminum.

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde: * qui non

accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino; * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum: * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

Deinde repetitur tota Antiphona:

Hi accípient, *etc.*

Qua finita, surgit sine mitra Pontifex, et ad altare conversus, dicit: Orémus, *et Ministri dicunt:*

Flectámus génua.

℟. Leváte.

Et mox ad tonsos genuflexos versus Pontifex dicit:

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et hos fámulos tuos bene ✠ dícere dignáre, quibus in tuo sancto nómine hábitum sacræ religiónis impónimus; ut, te largiénte, et devóti in Ecclésia

tua persístere, et vitam percípere mereántur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Tum Pontifex sedet cum mitra, et accipiens in manu superpelliceum, dicit singulis:

Induat te Dóminus novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia et sanctitáte veritátis.

Et mox imponit illud cuilibet, repetendo: Induat te, *etc., immittens usque ad scapulas et immediate trahens, si unum tantum sit superpelliceum; sicque facit usque ad ultimum, qui eo totaliter induitur. Si vero quisque suum superpelliceum habeat, singuli totaliter induuntur. Quo expedito, sine mitra surgit Pontifex, et versus ad illos, dicit:*

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, propitiáre peccátis nostris, et ab omni servitúte sæculáris hábitus hos fámulos tuos emúnda; ut dum ignomíniam sæculáris hábitus depónunt, tua semper in ævum grátia perfruántur: ut sicut similitúdinem corónæ tuæ eos gestáre fácimus in capítibus, sic tua virtúte hæreditátem súbsequi mereántur ætérnam in córdibus. Qui cum Patre et Spíritu sancto vivis, et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde sedet cum mitra Pontifex et alloquitur eos sub his verbis:

Fílii caríssimi, animadvértere debétis, quod hódie de foro Ecclésiæ facti estis, et privilégia

clericália sortíti estis; cavéte ígitur, ne propter culpas vestras illa perdátis, et hábitu honésto, bonísque móribus atque opéribus, Deo placére studeátis. Quod ipse vobis concédat per Spíritum sanctum suum.

℟. Amen.

Tum suggerente Archidiacono, ordinati redeant ad loca sua.

DE MINORIBUS ORDINIBUS.

Quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia, diebus Dominicis, et Festivis duplicibus, sed in mane tantum.

Ordinandi omnes ad quatuor minores Ordines esse debent superpelliceis induti, cum candela in manu dextera.

[134] De ordinatione Ostiariorum

(Pro Ostiariis ordinandis parentur claves Ecclesiae).

Pontifex, Clericis ordinatis, surgit, et cum mitra ad sedem seu ad faldistorium in cornu Epistolae revertitur; ubi, deposita mitra, et ad altare conversus, oblato sibi libro, cantat primam Collectam, deinde sedet, reassumit mitram, et cantatur prima Lectio. Interim accedunt duo Capellani, cum libro et candela, ante Pontificem, qui sedens cum mitra, ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus finitis, surgit Pontifex, et cum mitra ad faldistorium, ante medium altaris sibi praeparatum proficiscitur, et in illo sedet renibus altari versis. Archidiaconus vocat ordinandos, dicens:

Accédant qui ordinándi sunt ad Offícium Ostiariórum.

Et mox Notarius singulos nominatim vocat, et quilibet respondet: Adsum.

Omnibus in superpelliceis cum candelis in manibus coram Pontifice genuflexis, Pontifex admonet illos, dicens:

Susceptúri, fílii caríssimi, offícium Ostiariórum, vidéte, quæ in domo Dei ágere debeátis. Ostiárium opórtet percútere cýmbalum et campánam; aperíre Ecclésiam et sacrárium; et librum aperíre ei qui prædicat. Providéte ígitur ne, per negligéntiam vestram, illárum rerum quæ intra Ecclésiam sunt, áliquid depéreat: certísque horis domum Dei aperiátis fidélibus; et semper claudátis infidélibus. Studéte étiam, ut sicut materiálibus clávibus Ecclésiam visíbilem aperítis, et cláuditis; sic et invisíbilem Dei domum, corda scílicet fidélium, dictis et exémplis vestris claudátis diábolo, et aperiátis Deo: ut divína verba quæ audíerint corde retíneant, et ópere cómpleant, quod in vobis Dóminus perfíciat per misericórdiam suam.

Hae admonitiones non fiunt Cardinalibus, neque electis Episcopis.

Deinde Pontifex accipit, et tradit omnibus claves Ecclesiae, quas successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente:

Sic ágite, quasi redditúri Deo ratiónem pro iis rebus, quæ his clávibus recludúntur.

Post haec, Archidiaconus, sive alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos ad ostium Ecclesiae, et facit illos claudere, et aperire: tradit etiam eis funem campanarum, faciens

eos campanas pulsare; deinde illos reducit ad Pontificem; quibus coram Pontifice genua flectentibus, stans cum mitra Pontifex versus ad ipsos ordinatos, dicit:

Deum Patrem omnipoténtem, fratres caríssimi, supplíciter deprecémur, ut hos fámulos suos bene ✠ dícere dignétur, quos in offícium Ostiariórum elígere dignátus est: ut sit eis fidelíssima cura in Domo Dei, diébus ac nóctibus, ad distinctiónem certárum horárum, ad invocándum nomen Dómini, adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tum, mitra deposita, stans Pontifex et conversus ad altare, dicit:

Orémus.

Et Ministri subiungunt:

Flectámus génua.

℟. Leváte.

Et statim versus ad illos genuflexos, stans sine mitra, dicit:

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, bene ✠ dícere dignáre hos fámulos tuos in offícium Ostiariórum, ut inter janitóres Ecclésiæ tuo páreant obséquio, et inter eléctos tuos, partem tuæ mereántur habére mercédis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum,

qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Post haec, ordinati, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

[135] De ordinatione Lectorum

(Pro Lectoribus ordinandis paretur liber Lectionum).

Ostiariis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium in cornu Epistolae. Interim cantatur primum Graduale, vel primum Allelúja, *si sit infra Octavam Pentecostes; et Pontifex sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit dictum Graduale, vel* Allelúja. *Quibus dictis, surgit, deposita mitra, et versus ad altare cantat secundam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur secunda Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui sedens cum mitra ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium ante medium altaris positum, ubi sedet cum mitra, et Lectores vocantur per Archidiaconum, hoc modo:*

Accédant qui ordinándi sunt ad offícium Lectórum.

Et mox nominantur per Notarium, ut supra dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Elécti, fílii caríssimi, uti sitis Lectóres in domo Dei nostri, offícium vestrum agnóscite et impléte. Potens est enim Deus, ut áugeat vobis grátiam perfectiónis ætérnæ. Lectórem síquidem opórtet légere ea quæ (*vel* ei qui) prædicat, et

Lectiónes cantáre; et benedícere panem, et omnes fructus novos. Studéte ígitur verba Dei, vidélicet Lectiónes sacras, distíncte et apérte, ad intelligéntiam et ædificatiónem fidélium, absque omni mendácio falsitátis proférre; ne véritas divinárum Lectiónum, incúria vestra ad instructiónem audiéntium corrumpátur. Quod autem ore légitis corde credátis, atque ópere compleátis; quátenus auditóres vestros, verbo páriter, et exémplo vestro, docére possítis. Ideóque dum légitis, in alto loco Ecclésiæ stetis, ut ab ómnibus audiámini et videámini, figurántes positióne corporáli, vos in alto virtútum gradu debére conversári; quátenus cunctis, a quibus audímini et vidémini, cæléstis vitæ formam præbeátis; quod in vobis Deus ímpleat per grátiam suam.

Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus codicem, de quo lecturi sunt, quem manu dextera tangut, dicens:

Accípite, et estóte verbi Dei relatóres, habitúri, si fidéliter et utíliter implevéritis offícium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administravérunt ab inítio.

Quibus expeditis et illis genuflexis, Pontifex stans cum mitra, versus ad eos, dicit:

Orémus, fratres caríssimi, Deum Patrem omnipoténtem, ut super hos fámulos suos, quos in Ordinem Lectórum dignátus est assúmere, bene ✠ dictiónem suam cleménter effúndat, quátenus distíncte legant, quæ in Ecclésia Dei legénda

sunt, et éadem opéribus ímpleant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium suum, qui cum eo vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tum Pontifex, mitra deposita, stans conversus ad altare, dicit:

Orémus.

Et Ministri subjungunt:

Flectámus génua.

℟. Leváte.

Deinde conversus ad ordinatos genuflexos dicit, sine mitra:

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, bene ✠ dícere dignáre hos fámulos tuos in offícium Lectórum, ut assiduitáte Lectiónum instrúcti sint atque ordináti; et agénda dicant, et dicta ópere ímpleant, ut in utróque, sanctæ Ecclésiæ exémplo sanctitátis suæ cónsulant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Postea, suggerente Archidiacono, redeunt ordinati ad loca sua.

[136] De ordinatione Exorcistarum

(Pro Exorcistis ordinandis paretur liber exorcismorum; cuius loco dari potest Pontificale vel Missale).

Lectoribus ordinatis, Pontifex reassumpta mitra accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolae, ubi sedens cum mitra, oblatis sibi libro et candela, legit secundum Graduale, vel secundum Allelúja, *si sit infra Octavam Pentecostes. Interim cantatur a Choro ipsum Graduale, vel* Allelúja. *Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare, cantat tertiam Collectam. Tum sedet reassumpta mitra, et cantatur tertia Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, revertitur ad faldistorium ante altare, et sedet cum mitra. Exorcistae vero vocantur per Archidiaconum modo consueto, dicentem:*

Accédant qui ordinándi sunt ad Offícium Exorcistárum.

Et ipsi singulatim nominantur per Notarium, ut prius dictum est. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos, dicens:

Ordinándi, fílii caríssimi, in offícium Exorcistárum, debétis nóscere quid suscípitis. Exorcístam étenim opórtet abjícere dæmones, et dícere pópulo, ut qui non commúnicat, communicántibus det locum; et aquam in ministério fúndere. Accípitis ítaque potestátem imponéndi manum super energúmenos, et per impositiónem manuum vestrárum, grátia Spíritus sancti, et verbis exorcísmi, pellúntur spíritus immúndi a corpóribus obséssis. Studéte ígitur, ut, sicut a corpóribus

aliórum dæmones expéllitis, ita a méntibus et corpóribus vestris omnem immundítiam et nequítiam ejiciátis: ne illis succumbátis, quos ab áliis, vestro ministério, effugátis. Díscite per offícium vestrum vítiis imperáre, ne in móribus vestris áliquid sui juris inimícus váleat vindicáre. Tunc étenim recte in áliis dæmónibus imperábitis, cum prius in vobis eórum multímodam nequítiam superátis. Quod vobis Dóminus ágere concédat per Spíritum suum sanctum.

Post hæc Pontifex accipit, et tradit omnibus librum, in quo scripti sunt exorcismi; cuius loco tradi potest Pontificale, vel Missale, quem manu dextera tangunt, Pontifice dicente:

Accípite, et commendáte memóriæ, et habéte potestátem imponéndi manus super energúmenos, sive baptízatos, sive catechúmenos.

Postea vero, omnibus devote genuflexis, Pontifex cum mitra stans, dicit:

Deum Patrem omnipoténtem, fratres carísimi, súpplices deprecémur, ut hos fámulos suos bene ✠ dícere dignétur in offícium Exorcistárum; ut sint spirituáles imperatóres, ad abjiciéndos dæmones de corpóribus obséssis, cum omni nequítia eórum multifórmi. Per unigénitum Fílium suum Dóminum nostrum Jesum Christum, qui cum eo vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tum conversus ad altare, deposita mitra, dicit:

Orémus.

Et Ministri subiungunt:

Flectámus génua.

℟. Leváte.

Et mox conversus ad ordinatos genuflexos, dicit:

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, bene ✠ dícere dignáre hos fámulos tuos in offícium Exorcistárum; ut per impositiónem mánuum, et oris offícium, potestátem et impérium hábeant spíritus immúndos coërcéndi; ut probábiles sint médici Ecclésiæ tuæ, grátia curatiónum virtutéque cælésti confirmáti. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Post haec, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

[137] De ordinatione Acolythorum.

(Pro Acolythis ordinandis parentur, candelabrum [1] cum cereo exstincto, et urceolus vacuus pro vino, pro Sacramento).

Exorcistis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, ad cornu Epistolae,

[1] Instrumentum *Bugia* seu palmatoria non potest esse materia Ordinis Acolythatus loco candelabri seu ceroferarii. Decr. auth. S. C. RR., n. 2194 ad 4.

ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit tertium Graduale, vel tertium Allelúja, *si sit infra Octavam Pentecostes. Interim a choro cantatur ipsum Graduale vel* Allelúja. *Quo finito, surgit Pontifex deposita mitra, et versus ad altare cantat quartam Collectam. Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quarta Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad faldistorium, ante altare, ubi sedet cum mitra, Acolythi vero vocantur per Archidiaconum:*

Accédant qui ordinándi sunt ad offícium Acolythórum.

Et mox nominantur per Notarium, ut supra. Quibus coram Pontifice cum candelis in manibus genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:

Susceptúri, fílii caríssimi, offícium Acolythórum, pensáte quod suscípitis. Acólythum étenim opórtet ceroferárium ferre; luminária Eccléśiæ accéndere; vinum et aquam ad Eucharístiam ministráre. Studéte ígitur suscéptum offícium digne implére. Non enim Deo placére potéritis, si lucem, Deo mánibus præferéntes, opéribus tenebrárum inserviátis, et per hoc áliis exémpla perfídiæ præbeátis. Sed sicut Véritas dicit: Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Et sicut Apóstolus Paulus ait: In médio natiónis pravæ et pervérsaæ, lucéte sicut luminária in mundo, verbum vitæ continéntes. Sint ergo lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardén-

tes in mánibus vestris, ut fílii lucis sitis. Abjiciátis ópera tenebrárum, et induámini arma lucis. Erátis enim aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino. Ut fílii lucis ambuláte. Quæ sit vero ista lux, quam tantópere incúlcat Apóstolus, ipse demónstrat, subdens: Fructus enim lucis est in omni bonitáte et justítia, et veritáte. Estóte ígitur sollíciti, in omni justítia, bonitáte et veritáte, ut et vos, et álios, et Dei Ecclésiam illuminétis. Tunc étenim in Dei Sacrifício digne vinum suggerétis et aquam, si vas ipsi Deo sacrifícium, per castam vitam, et bona ópera, oblati fuéritis. Quod vobis Dóminus concédat per misericórdiam suam.

Post hæc Pontifex accipit et tradit omnibus candelabrum cum candela exstincta, quod successive manu dextera singuli tangant, Pontifice dicente:

Accípite ceroferárium cum céreo, et sciátis vos ad accendénda Ecclésiæ luminária mancipári, in nómine Dómini.

℟. Amen.

Tunc accipit, et tradit eis urceolum vacuum, quem similiter tangere debent, dicens communiter omnibus:

Accípite urcéolum ad suggeréndum vinum et aquam in Eucharístiam Sánguinis Christi, in nómine Dómini.

℟. Amen.

Postea, eis genuflexis permanentibus, Pontifex stans cum mitra versus ad eos, dicit:

Deum Patrem omnipoténtem, fratres carissimi, supplíciter deprecémur, ut hos fámulos suos bene ✠ dícere dignétur in órdine Acolythórum; quátenus lumen visíbile mánibus præferéntes, lumen quoque spirituále móribus præbeant: adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum eo et Spíritu sancto vivit et regnat Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tum Pontifex ad altare se convertens, deposita mitra, stans, dicit:

Orémus.

Et Ministri:

Flectámus génua.

℟. Leváte.

Et mox Pontifex conversus ad eosdem genuflexos, dicit:

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui per Jesum Christum Fílium tuum Dóminum nostrum, et Apóstolos ejus, in hunc mundum lumen claritátis tuæ misísti, quique, ut mortis nostræ antíquum aboléres chirógraphum, gloriosíssimæ illum crucis vexíllo áffigi, ac sánguinem et aquam ex látere illíus pro salúte géneris humáni efflúere voluísti, bene ✠ dícere dignáre hos fámulos tuos in offícium Acolythórum; ut ad accendéndum lumen Ecclésiæ tuæ, et ad suggeréndum vinum et aquam ad conficiéndum sánguinem Christi Fílii tui in offerénda Eucharístia, sanctis altáribus tuis fidéliter sub-

minístrent. Accénde, Dómine, mentes eórum et corda, ad amórem grátiæ tuæ; ut illumináti vultu splendóris tui, fidéliter tibi in sancta Ecclésia desérviant. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui ad Móysen et Aaron locútus es, ut accenderéntur lucérnæ in tabernáculo testimónii, bene ✠ dícere dignáre hos fámulos tuos: ut sint Acólythi in Ecclésia tua. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, fons lucis, et orígo bonitátis, qui per Jesum Christum Fílium tuum, lumen verum, mundum illumināsti, ejúsque passiónis mystério redemísti, bene ✠ dícere dignáre hos fámulos tuos, quos in offícium Acolythórum consecrámus, poscéntes cleméntiam tuam, ut eórum mentes, et lúmine sciéntiæ illústres, et pietátis tuæ rore írriges; ut ita accéptum ministérium te auxiliánte, péragant, quáliter ad ætérnam remuneratiónem pervenire mereántur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post haec, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua.

DE SACRIS ORDINIBUS IN GENERE.

Sacri et maiores Ordines sunt Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus, ad quos ordinati omnes debent communicare, ideo parentur pro eorum numero hostiae parvae consecrandae.

[138] De ordinatione Subdiaconi

Pro ordinatione Subdiaconorum parentur Calix vacuus, cum Patena superposita, Urceoli cum manutergio, et liber Epistolarum.

Acolythis ordinatis, Pontifex reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium in cornu Epistolae, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro, et candela, legit quartum Graduale, vel quartum Allelúja, *si sint infra Octavam Pentecostes. Interim a Choro cantatur ipsum Graduale, vel* Allelúja. *Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare cantat quintam Collectam.*

Tum sedet, reassumpta mitra, et cantatur quinta Lectio. Interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit Lectionem ipsam. Quibus dictis, Pontifex revertitur ad sedem suam ante medium altaris; et Archidiaconus versus ad ordinandos, dicit:

Accédant qui ordinándi sunt Subdiáconi.

Et Notarius unumquemque illorum vocat, dicens:

N. ad títulum Ecclésiæ.

N. ad títulum patrimónii sui.

Frater *N.* profféssus órdinis *N.* ad títulum paupertátis.

Et sic de aliis, et quilibet vocatus dicit: Adsum, *et accedit versus Episcopum.*

Debet autem quilibet ordinandorum in Subdiaconum indutus esse amictu, non tamen super caput, alba et cingulo, habere manipulum in manu sinistra, tunicellam super brachio, et candelam in manu dextera.

Omnibus autem in Subdiaconos ordinandis, competenti spatio coram Pontifice stantibus, Pontifex cum mitra sedens admonet eos (nisi omnes sint religiosi, quia tunc ista admonitio omittitur) dicens:

Fílii dilectíssimi, ad sacrum Subdiaconátus Ordinem promovéndi, íterum atque íterum considerare debétis atténte, quod onus hódie ultro appétitis. Háctenus enim líberi estis, licétque vobis pro arbítrio ad sæcularia vota transíre; quod si hunc Ordinem suscepéritis, ámplius non licébit a propósito resilíre, sed Deo, cui servíre, regnáre est, perpétuo famulári; et castitátem, illo adjuvánte, serváre oportébit, atque in Eccléstæ ministério semper esse mancipátos. Proínde, dum tempus est, cogitáte, et, si in sancto propósito perseveráre placet, in nómine Dómini, huc accédite.

Illis tunc accedentibus, et coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus vocat ceteros Ordinandos, dicens:

Accédant qui ordinándi sunt Diáconi et Presbýteri.

Quibus accedentibus, Archidiaconus ordinat eos, videlicet Diaconandos, paratos amictu, alba, cingulo et manipulo, stolam in manu sinistra, dalmaticam super brachium sinistrum, et candelam in manu dextera tenentes contra cornu Epistolae altaris, faciebus altari versis; et Presbyterandos paratos amictu, alba, cingulo, manipulo, stola in modum

Diaconi, planetam super brachium sinistrum, mappulam albam manu sinistra et candelam dextera tenentes, contra faciem Pontificis, ac medium altaris, faciebus similiter altari versis. Quibus sic ordinatis, Pontifex mitram in capite tenens, procumbit super faldistorium, in superiori gradu, sive plano altaris paratum; et omnes ordinandi in locis super tapetia prosternunt se, ministri vero, et alii adstantes genuflectunt; et schola inchoat Litanias, Choro respondente; vel si Officium fiat sine cantu, Pontifex dicit, Ministris et Capellanis respondentibus:

LITANIÆ SANCTORUM.

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Deí Genitrix ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora.

Sancte Joseph, ora pro nobis.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte.
Sancti Joánnes et Paule, oráte.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancti Gervási et Protási, oráte.
Omnes sancti Mártyres, oráte.

Sancte Silvéster, ora pro nobis.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ, oráte.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.
Propítius esto, parce nobis, Dómine.
Propítius esto, exáudi nos, Dómine.
Ab omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.

Ab ira tua, líbera nos, Dómine.
A subitánea et improvísa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera.
A fúlgure et tempestáte, líbera.
A flagéllo terræmótus, líbera.
A peste, fame, et bello, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per advéntum tuum, líbera.
Per natívitátem tuam, líbera.
Per baptísmum et sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per advéntum Spíritus Sancti Parácliti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogámus.
Ut nobis indúlgeas, te rogámus.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere, et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut Domnum Apostólicum, et omnes ecclesiásti-

cos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus.
Ut régibus et princípibus christiánis pacem et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus.
Ut cuncto pópulo christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te rogámus.
Ut omnes errántes ad unitátem Ecclésiæ revocáre, et infidéles univérsos ad Evangélii lumen perdúcere dignéris, te rogámus.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre, et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut mentes nostras ad cæléstia desidéria érigas, te rogámus.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, et benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus.
Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus.

Hic datur benedictio, santificatio et consecratio per Pontificem praesentibus consecrandis, ut infra in locis propriis dicetur.

Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus.

Fili Dei, te rogámus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.

Postquam autem dictum fuerit in Litaniis:

Ut ómnibus fidélibus defúnctis, *etc.*

℟. Te rogámus, audi nos.

Surgit Pontifex cum mitra ab accubitu, et se ad ordinandos vertens, et baculum Pastoralem in sinistra manu tenens, ordinandis prostratis manentibus, dicit:

Ut hos eléctos bene ✠ dícere dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

Secundo dicit:

Ut hos eléctos bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

Tertio dicit:

Ut hos eléctos bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre et conse ✠ cráre dignéris.

℟. Te rogámus, audi nos.

Tum iterum super faldistorium procumbit, schola perficiente Litanias: Ut nos exaudíre dignéris *usque ad finem. Quibus finitis, Pontifex surgens cum mitra, sedet super faldistorium ante medium altaris, et Archidiaconus dicit alta voce:*

Recédant in partem, qui ordinándi sunt Diáconi et Presbýteri.

Quibus ad aliquem locum idoneum, unde Pontificem celebrantem videre possint, transeuntibus, ad ordinationem Subdiaconorum proceditur. Illis itaque coram Pontifice, per ordinem, in modum coronae genuflexis, Pontifex admonet eos dicens:

Adeptúri, fílii dilectíssimi, offícium Subdiacónatus, sédulo atténdite, quale ministérium vobis tráditur: Subdiáconum enim opórtet aquam ad ministérium altáris præparáre; Diácono ministráre; pallas altáris et corporália ablúere; Cálicem et Paténam in usum sacrifícii eídem offérre. Oblatiónes quæ véniunt in altáre, panes propositiónis vocántur. De ipsis oblatiónibus tantum debet in altáre poni, quantum pópulo possit suffícere, ne áliquid pútridum in sacrário remáneat. Pallæ quæ sunt in substratório altáris, in álio vase debent lavári, et in álio corporáles pallæ. Ubi autem corporáles pallæ lotæ fúerint, nullum áliud linteámen debet lavári, ípsaque lotiónis aqua in baptistérium debet vergi. Studéte ítaque ut ista visibília ministéria, quæ díximus, nítide et diligentíssime compléntes, invisibília horum exémplo

perficiátis. Altáre quidem sanctæ Ecclésiæ, ipse est Christus, teste Joánne, qui in Apocalýpsi sua, altáre áureum se vidísse pérhibet: stans ante thronum, in quo, et per quem oblatiónes fidélium Deo Patri consecrántur. Cujus altáris pallæ et corporália sunt membra Christi, scílicet fidéles Dei, quibus Dóminus quasi vestiméntis pretiósis circúmdatur, ut ait Psalmísta: Dóminus regnávit, decórem indútus est. Beátus quoque Joánnes in Apocalýpsi vidit Fílium hóminis præcínctum zona áurea, id est, sanctórum, catérva. Si ítaque humána fragilitáte contíngat in áliquo fidéles maculári, præbénda est a vobis aqua cæléstis doctrínæ, qua purificáti, ad ornaméntum altáris, et cultum divíni sacrifícii rédeant. Estóte ergo tales, qui sacrifíciis divínis, et Ecclésiæ Dei, hoc est, córpori Christi digne servíre valeátis, in vera et Cathólica fide fundáti; quóniam, ut ait Apóstolus: Omne quod non est ex fide, peccátum est, schismáticum est, et extra unitátem Ecclésiae est. Et ídeo si usque nunc fuístis tardi ad Ecclésiam, ámodo debétis esse assídui. Si usque nunc somnolénti, ámodo vígiles. Si usque nunc ebriósi, ámodo sóbrii. Si usque nunc inhonésti, ámodo casti. Quod ipse vobis præstáre dignétur, qui vivit et regnat Deus, in sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde Pontifex accipit et tradit omnibus Calicem vacuum cum Patena vacua superposita,[1] *quem successive manu dextera singuli tangunt, Pontifice dicente:*

Vidéte cujus ministérium vobis tráditur; ídeo vos admóneo, ut ita vos exhibeátis, ut Deo placére possítis.

Et Archidiaconus accipit et tradit eis urceolos cum vino, et aqua, ac bacile cum manutergio, quae omnia similiter tangere debent.

Postea surgit Pontifex, et versus ad populum, stans cum mitra, dicit:

Orémus Deum, ac Dóminum nostrum, fratres caríssimi, ut super hos servos suos, quos ad Subdiaconátus offícium vocáre dignátus est, infúndat bene ✠ dictiónem suam, et grátiam; ut in conspéctu ejus fidéliter serviéntes, prædestináta Sanctis præmia consequántur, adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo, qui, cum eo vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tum deposita mitra conversus ad altare Pontifex dicit:

Orémus.

---

[1] Indifferens est ad validitatem Ordinationis, utrum tradatur ordinando calix vacuus cum patena, quae hostiam superpositam non habeat; an calix tradatur plenus cum patena vacua, sive etiam an calix plenus vel vacuus tradatur cum patena hostiam continente. (Cf. Gasparri, *De S. Ordinatione*, II, 1034).

Et Ministri:

Flectámus génua.

℟. Leváte.

Et mox Pontifex versus ad ordinandos genuflexos, dicit sine mitra:

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, bene ✠ dícere dignáre hos fámulos tuos, quos ad Subdiaconátus offícium elígere dignátus es; ut eos in sacrário tuo sancto strénuos, sollicitósque cæléstis milítiæ instítuas excubitóres, sanctísque altáribus tuis fidéliter subminístrent: et requiéscat super eos Spíritus sapiéntiæ et intelléctus; Spíritus consílii et fortitúdinis; Spíritus sciéntiæ et pietátis; et répleas eos Spíritu timóris tui; et eos in ministério divíno confírmes, ut obediéntes facto, ac dicto paréntes, tuam grátiam consequántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tum Pontifex sedens, accepta mitra, amictum qui in collo ordinandorum iacet, imponit super caput singulis, dīcens:

Accipe amíctum, per quem designátur castigátio vocis. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti.

℟. Amen.

Tum immittit manipulum in sinistrum brachium cuilibet, dicens:

Accipe manípulum, per quem designántur fructus bonórum óperum. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti.

℟. Amen.

Post haec, induit quemlibet tunica, et si tantum unica sit, immittit illam cuilibet solum usque ad scapulas, ac retrahens, postremum totaliter induit, dicens cuilibet:

Túnica jucunditátis, et induménto lætítiæ índuat te Dóminus. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii et Spíritus ✠ sancti.

℟. Amen.

Postea accipit, et tradit omnibus librum Epistolarum, manu dextera ipsum simul tangentibus, dicens:

Accípite librum Epistolárum, et habéte potestátem legéndi eas in Ecclésia sancta Dei, tam pro vivis, quam pro defúnctis. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti.

℟. Amen.

Omnibus expeditis, suggerente Archidiacono, ordinati redeunt ad loca sua; unus tamen de noviter ordinatis, tunica indutus, dicet Epistolam suo tempore.

[139] De Ordinatione Diaconi.

Subdiaconis ordinatis, Pontifex, reassumpta mitra, accedit ad sedem suam, vel ad faldistorium, in cornu Epistolae, ubi sedens cum mitra, oblato sibi libro et candela, legit Hymnum Benedíctus es, *vel* Allelúja *cum Versu* Benedíctus es, *si sit infra Octavam Pentecostes. Interim cantatur a*

Choro dictus Hymnus, vel Allelúja, *cum suo Versu, ut supra. Quo finito, surgit Pontifex, deposita mitra, et versus ad altare, dicit in competenti tono:* Glória in excélsis Deo, *si sit infra Octavam Pentecostes, quod dum a Choro perficitur sedet cum mitra. Quo finito, deposita mitra, surgit, et versus ad populum, dicit:* Pax vobis, *vel* Dóminus vobíscum, *si* Glória in excélsis *non sit dicendum, et conversus ad altare, cantat orationem Missae diei, cum oratione pro ordinatis et ordinandis, sub uno* Per Dóminum nostrum, *videlicet:*

Oratio.

Exáudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et devóto tibi péctore famulántes perpétua defensióne custódi; ut nullis perturbatiónibus impediti, líberam servitútem tuis semper exhibeámus offíciis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat, *etc.*

Finita Oratione, sedet Pontifex, reassumpta mitra, et oblato sibi libro et candela, legit Epistolam. Interim per unum ex Subdiaconis noviter ordinatis cantatur Epistola. Qua finita, surgit Pontifex, et accedit ad faldistorium ante altare cum mitra, et ibi sedet. Promovendi vero ad Ordinem Diaconatus, per Archidiaconum vocantur, dicendo:

Accédant qui ordinándi sunt ad Diaconátum.

Et mox singulatim nominatur per Notarium, nulla tamen facta mentione de titulo. Eis igitur amictu, alba, cingulo et manipulo paratis, ac stolam in sinistra manu, et candelam in dextera, ac dalmaticam super brachium sinistrum tenentibus, et in modum coronae coram Pontifice genuflexis, Archidiaconus, offerens illos Pontifici, dicit:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta mater

Ecclésia cathólica, ut hos præséntes Subdiáconos ad onus Diacónii ordinétis.

Pontifex interrogat, dicens:

Scis illos dignos esse?

Respondet Archidiaconus:

Quantum humána fragílitas nosse sinit, et scio, et testíficor ipsos dignos esse ad hujus onus offícii.

Et Pontifex dicit:

Deo grátias.

Et ad eorum ordinationem procedit. In primis Pontifex cum mitra sedens, clero et populo annuntiat, dicens:

Auxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Jesu Christo, elígimus hos præséntes Subdiáconos in órdinem Diacónii. Si quis habet áliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum cum fidúcia éxeat, et dicat; verúmtamen memor sit conditiónis suæ.

Et facta aliquali mora, Pontifex convertens sermonem suum ad ordinandos, admonet eos, dicens:

Proveléndi, fílii dilectíssimi, ad Levíticum órdinem, cogitáte magnópere, ad quantum gradum Ecclésiæ ascénditis. Diáconum enim opórtet minístráre ad altáre, baptizáre et prædicáre. Sane in véteri lege ex duódecim una Tribus Levi elécta est, quæ speciáli devotióne tabernáculo Dei, ejúsque sacrifíciis ritu perpétuo deservíret. Tántaque dígnitas ipsi concéssa est, quod nullus, nisi ex

ejus stirpe, ad divínum illum cultum atque offícium ministratúrus assúrgeret: adeo ut grandi quodam privilégio hereditátis, et Tribus Dómini esse mererétur, et dici: quorum hódie, fílii dilectíssimi, et nomen et offícium tenétis, quia in ministérium tabernáculi testimónii, id est, Ecclésiæ Dei, eligímini in Levítico offício, quæ semper in procínctu pósita, incessábili pugna contra inimícos dímicat, unde ait Apóstolus: Non est nobis colluctátio advérsus carnem et sánguinem, sed advérsus príncipes et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cæléstibus. Quam Ecclésiam Dei, véluti tabernáculum, portáre, et munire debétis ornátu sancto prædicátu divíno, exémplo perfécto. Levi quippe interpretátur ádditus, sive assúmptus. Et vos, fílii dilectíssimi, qui ab hereditáte patérna nomen accípitis, estóte assúmpti a carnálibus desidériis, a terrénis concupiscéntiis, quæ mílitant advérsus ánimam; estóte nítidi, mundi, puri, casti, sicut decet minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei; ut digne addámini ad númerum Ecclesiástici gradus; ut heréditas, et Tribus amábilis Dómini esse mereámini. Et quia comminístri, et cooperatóres estis córporis et sánguinis Dómini, estóte ab omni illécebra carnis aliéni, sicut ait Scriptúra: Mundámini, qui fertis vasa Dómini. Cogitáte beátum Stéphanum, mérito præcípuæ castitátis ab Apó-

stolis ad offícium istud eléctum. Curáte, ut, quibus Evangélium ore annuntiátis, vivis opéribus exponátis, ut de vobis dicátur: Beáti pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona. Habéte pedes vestros calceátos Sanctórum exémplis, in præparatióne Evangélii pacis. Quod vobis Dóminus concédat per grátiam suam.

℟. Amen.

Deinde, si non sint ordinati Subdiaconi, ordinandi omnes prosternunt se, ubi genuflectebant, et Pontifice ante faldistorium suum genuflectente, dicuntur Litaniae et ordinandi per Pontificem benedicuntur, prout supra, ubi de ordinatione Subdiaconi dictum est. Post haec ordinandis ab accubitu surgentibus, genuflexis tamen manentibus, Pontifex, sedens in faldistorio cum mitra, intelligibili voce alloquitur clerum et populum, dicens:

Commúne votum, commúnis orátio prosequátur, ut hi totíus Ecclésiæ prece, qui ad Diaconátus ministérium præparántur, Levíticæ bene ✠ dictiónis órdine claréscant, et spirituáli conversatióne præfulgéntes, grátia sanctificatiónis elúceant; præstánte Dómino nostro Jesu Christo: qui cum Patre et Spíritu sancto vivit et regnat Deus, in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde, surgens cum mitra Pontifex, stans versus ad ordinandos dicit, alta voce legendo:

Orémus, fratres caríssimi, Deum Patrem omnipoténtem, ut super hos fámulos suos, quos ad offícium Diaconátus dignátur assúmere, benedictiónis suæ grátiam cleménter effúndat, eisque

consecratiónis indúltæ propítius dona consérvet, et preces nostras cleménter exáudiat, ut quæ nostro gerénda sunt ministério, suo benígnus prosequátur auxílio; et quos sacris mystériis exsequéndis pro nostra intelligéntia crédimus offeréndos, sua bene ✠ dictióne sanctíficet, et confírmet. Per unigénitum Fílium suum Dóminum nostrum Jesum Christum, qui cum eo et Spíritu sancto vivit et regnat Deus.

Deinde, deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit:

Per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens ætérne Deus, honórum dator, ordinúmque distribútor, atque officiórum dispósitor, qui in te manens ínnovas ómnia, et cuncta dispónis per verbum, virtútem, sapientiámque tuam, Jesum Christum Fílium tuum Dóminum nostrum, sempitérna providéntia præparas, et síngulis quibúsque tempóribus aptánda dispénsas. Cujus corpus, Ecclésiam vidé-

licet tuam, cæléstium gratiárum varietáte distíncta , suórúmque connéxam distinctióne membrórum, per legem mirábilem totíus compáginis unítam, in augméntum templi tui créscere, dilataríque largíris: sacri múneris servitútem trinis grádibus ministrórum nómini tuo militáre constítuens; eléctis ab inítio Levi fíliis qui in mýsticis operatiónibus domus tuæ fidélibus excúbiis permanéntes, hereditátem benedictiónis ætérnae sorte perpétua possidérent. Super hos quoque fámulos tuos, quæsumus, Dómine, placátus inténde, quos tuis sacris altáribus servitúros in offícium Diaconátus, supplíciter dedicámus. Et nos quidem tamquam hómines, divíni sensus et summæ ratiónis ignári, horum vitam, quantum póssumus æstimámus. Te autem, Dómine, quæ nobis sunt ignóta non tránseunt, te occúlta non fallunt. Tu cógnitor es secretórum: tu scrutátor es córdium. Tu horum vitam cælésti póteris examináre judício, quo semper prævales, et admíssa purgáre, et ea quæ sunt agénda concédere.

Hic solus Pontifex manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando, et nullus alius, quia non ad Sacerdotium, sed ad ministerium consecrantur, dicens singulis:

Accipe Spíritum sanctum, ad robur, et ad resisténdum diábolo, et tentatiónibus ejus. In nómine Dómini.

Postea prosequitur in primo tono, extensam tenens manum dexteram, usque in finem Praefationis.

Emítte in eos, quæsumus, Dómine, Spíritum sanctum, quo in opus ministérii tui fidéliter exsequéndi, septifórmis grátiæ tuæ múnere roboréntur. Abúndet in eis totíus forma virtútis, auctóritas modésta, pudor constans, innocéntiæ púritas, et spirituális observántia disciplínæ. In móribus eorum præcépta tua, fúlgeant; ut suæ castitátis exémplo, imitatiónem sanctam plebs acquírat: et bonum consciéntiæ testimónium præferéntes, in Christo firmi et stábiles persevérent; dignísque succéssibus de inferióri gradu per grátiam tuam cápere potióra mereántur.

Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus possit audiri:

Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Post haec, Pontifex sedens cum mitra cuilibet ordinando ante se genuflexo, stolam, quam singuli in manu habent, imponit successive super humerum sinistrum, dicens singulis:

Accipe stolam ✠ cándidam de manu Dei; adímple ministérium tuum: potens enim est Deus, ut áugeat tibi grátiam suam: Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Faciens super quemlibet eorum signum crucis, et Ministri reflectent capita stolae, et alligent sub brachio dextro.

Post haec Pontifex, accipiens Dalmaticam, induit ea quemlibet successive, usque ad humeros, et sic fit usque ad ultimum, quem ea totaliter induit; et hoc, si una tantum sit Dalmatica. Si vero quilibet suam habet, tunc singulos sua totaliter induit, dicens cuilibet:

Induat te Dóminus induménto salútis, et vestiménto lætítiæ, et dalmática justítiæ circúmdet te semper. In nómine Dómini.

℟. Amen.

Postremo, Pontifex accipit et tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dextera tangunt, [1] *dicens:*

Accipe potestátem legéndi Evangélium in Ecclésia Dei, tam pro vivis, quam pro defúnctis. In nómine Dómini.

℟. Amen.

Quo facto, Pontifex stans ad altare conversus dicit sine mitra:

Orémus.

Et Ministri:

Flectámus génua.

℟. Leváte.

---

[1] Si omissa fuerit traditio Libri Evangeliorum, hic Ritus supplendus est. Si vero Episcopus solum tradidit materiam (partialem) Libri Evangeliorum sine forma, ... caute et secreto suppleat opportuno tempore defectum, traditionem materiae simul cum prolatione formae repetendo. (Cf. Decr. Auth. S. C. RR., N. 2767).

Et vertens se ad ordinatos, dicit:

Exáudi, Dómine, preces nostras, et super hos fámulos tuos Spíritum tuæ bene ✠ dictiónis emítte: ut cælésti múnere ditáti, et tuæ majestátis grátiam possint acquírere, et bene vivéndi áliis exémplum præbére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus.

Dómine sancte, Pater fídei, spei, et grátiæ, et profféctuum remunerátor, qui in cæléstibus et terrénis Angelórum ministériis ubíque dispósitis, per ómnia eleménta voluntátis tuæ diffúndis effféctum, hos quoque fámulos tuos, spirituáli dignáre illustráre afféctu; ut tuis obséquiis expedíti, sanctis altáribus tuis minístri puri accréscant; et indulgéntia tua purióres, eórum gradu, quos Apóstoli tui in septenárium número, beáto Stéphano duce ac prævio, Spíritu Sancto auctóre, elegérunt, digni exístant; et virtútibus univérsis quibus tibi servíre opórtet, instrúcti, tibi compláceant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde cum tempus fuerit, aliquis de noviter ordinatis Dalmatica indutus, Evangelium dicit: ordinati autem statim, suggerente Archidiacono, redeunt ad loca sua.

[140] De Ordinatione Presbyteri.

Pro ordinatione Presbyterorum parentur oleum catechumenorum, Calix cum vino et aqua, Patena et Hostia desuper posita, medulla panis et bacile cum buccali pro manibus abluendis, quas singuli ad suas mappulas extergunt.

Diaconis ordinatis, Pontifex ad sedendum in sede sua vel in faldistorio in plano iuxta cornu Epistolae accedit, et cantatur Tractus, usque ad ultimum Versum exclusive; quod si sit infra Octavam Pentecostes, Tractus, et Sequentia, usque ad ultimum Versum exclusive. interim accedunt duo Capellani cum libro et candela ante Pontificem, qui ex eo legit ipsum Tractum et Sequentiam, usque ad ultimum Versum exclusive. Deinde Pontifex cum mitra revertitur ante altare, ubi sedet super faldistorium.

Tunc Archidiaconus vocat ordinandos voce intelligibili, dicens:

Accédant qui ordinándi sunt ad órdinem Presbyterátus.

Et mox nominatim leguntur per Notarium prout supra dictum est, nulla tamen de titulo facta mentione. Tunc illi, more Diaconorum parati amictu, alba, cingulo, stola et manipulo, tenentes planetas super brachium sinistrum complicatas, et in manu dextera candelas, ac mappulas albas pro ligandis et lavandis manibus, ad Pontificem accedunt, et coram eo in modum coronae se disponunt. Tunc Archidiaconus praesentat ordinandos Pontifici, dicens:

Reverendíssime Pater, póstulat sancta mater

Ecclésia cathólica, ut hos præséntes Diáconos ad onus Presbytérii ordinétis.

Et Pontifex interrogat, dicens:

Scis illos esse dignos?

Respondet Archidiaconus:

Quantum humána fragílitas nosse sinit, et scio, et testíficor ipsos dignos esse ad hujus onus offícii.

Pontifex dicit:

Deo gratias.

Et annuntiat Clero et populo, dicens:

Quóniam, fratres caríssimi, rectóri navis, et navígio deferéndis eádem est, vel securitátis rátio, vel commúnis timóris, par eórum debet esse senténtia, quorum causa commúnis exístit. Neque enim fuit frustra a Pátribus institútum, ut de electióne illórum qui ad régimen altáris adhibéndi sunt, consulátur étiam pópulus: quia de vita et conversatióne præsentándi, quod nonnúnquam ignorátur a plúribus, scitur a paucis; et necésse est, ut facílius ei quis obediéntiam exhíbeat ordináto, cui assénsum praebúerit ordinándo. Horum síquidem Diaconórum in Presbýteros, auxiliánte Dómino, ordinandórum conversátio (quantum mihi vidétur) probáta, et Deo plácita exístit, et digna (ut árbitror) ecclesiástici honóris augménto. Sed ne unum fortásse, vel paucos, aut decípiat assénsio, vel fallat afféctio,

senténtia est expeténda multórum. Itaque quid de eórum áctibus aut móribus novéritis, quid de mérito sentiátis, líbera voce pandátis; et his testimónium Sacerdótii magis pro mérito, quam affectióne áliqua, tribuátis. Si quis ígitur habet áliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum, cum fidúcia éxeat, et dicat; verúmtamen memor sit conditiónis suæ.

Postea Pontifex, facta aliqua mora, convertens sermonem suum ad ordinandos, admonet eos dicens:

Consecrándi, fílii dilectíssimi, in Presbyterátus offícium, illud digne suscípere, ac suscéptum laudabíliter éxsequi studeátis. Sacerdótem étenim opórtet offérre, benedícere, præésse, prædicáre et baptizáre. Cum magno quippe timóre ad tantum gradum ascendéndum est, ac providéndum, ut cæléstis sapiéntia, probi mores, et diutúrna justítiæ observátio ad id eléctos comméndent. Unde Dóminus præcípiens Móysi, ut septuagínta viros de univérso Israël in adjutórium suum elígeret, quibus Spíritus sancti dona divíderet, suggéssit: Quos tu nosti, quod senes pópuli sunt. Vos síquidem in septuagínta viris et sénibus signáti estis; si per Spíritum septifórmem, Decálogum legis custodiéntes, probi et matúri in sciéntia simíliter et ópere éritis. Sub eódem quoque mystério, et cádem figúra in novo Testaménto Dóminus septuagínta duos elégit, ac binos ante se in prædicatiónem misit, ut docéret

verbo simul, et facto, minístros Ecclésiæ suæ, fide et ópere debére esse perféctos; seu géminæ dilectiónis, Dei scílicet et próximi, virtúte fundátos. Tales ítaque esse studeátis, ut in adjutórium Móysi et duódecim Apostolórum, Episcopórum vidélicet catholicórum qui per Móysen, et Apóstolos figurántur, digne, per grátiam Dei, éligi valeátis. Hac certe mira varietáte Ecclésia sancta circúmdatur, ornátur et régitur: cum álii in ea Pontífices, álii minóris órdinis Sacerdótes, Diáconi, et Subdiáconi, diversórum órdinum viri consecrántur; et ex multis, et altérnæ dignitátis membris unum corpus Christi effícitur. Itaque, fílii dilectíssimi, quos ad nostrum adjutórium, fratrum nostrórum arbítrium consecrándos elégit, serváte in móribus vestris, castæ et sanctæ vitæ integritátem. Agnóscite quod ágitis: imitámini quod tractátis; quátenus mortis Domínicæ mystérium celebrántes, mortificáre membra vestra a vítiis et concupiscéntiis ómnibus procurétis. Sit doctrína vestra spirituális medicína pópulo Dei; sit odor vitæ vestræ delectaméntum Ecclésiæ Christi; ut prædicatióne, atque exémplo aedificétis domum, id est, famíliam Dei; quátenus nec nos de vestra provectióne, nec vos de tanti offícii susceptióne damnári a Dómino, sed remunerári pótius, mereámur. Quod ipse nobis concédat per grátiam suam. ℟. Amen.

Si non sint factae ordinationes Subdiaconorum vel Diaconorum, dicantur Litaniae, ut supra in ordinatione Subdiaconorum dictum est.

Post haec, surgunt omnes, et ordinandis coram Pontifice binis et binis successive genuflectentibus, Pontifex stans ante faldistorium suum cum mitra, et nulla oratione nulloque cantu praemissis, imponit simul utramque manum super caput cuiuslibet ordinandi successive, nihil dicens. Idemque faciunt post eum omnes Sacerdotes qui adsunt, quorum tres aut plures planetis, vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent. Quo facto, tam Pontifex, quam Sacerdotes, tenent manus dexteras extensas super illos. Et Pontifex, stans cum mitra, dicit:

Orémus, fratres caríssimi, Deum Patrem omnipoténtem, ut super hos fámulos suos, quos ad Presbytérii munus elégit, cæléstia dona multíplicet; et quod ejus dignatióne suscípiunt, ipsíus consequántur auxílio. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pontifex, deposita mitra conversus ad altare, dicit:

Orémus.

Et Ministri:

Flectámus génua.

℟. Leváte.

Et mox conversus ad ordinandos, dicit:

Exáudi nos, quæsumus, Dómine Deus noster, et super hos fámulos tuos bene ✠ dictiónem sancti Spíritus, et grátiæ Sacerdotális infúnde

virtútem: ut quos tuæ pietátis adspéctibus offérimus consecrándos, perpétua múneris tui largitáte prosequáris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitátem ejúsdem Spíritus sancti Deus.

Per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tum, exstensis manibus ante pectus, dicit:

Per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, honórum auctor et distribútor ómnium dignitátum; per quem proficiunt univérsa, per quem cuncta firmántur, amplificátis semper in mélius natúræ rationális increméntis, per órdinem cóngrua ratióne dispósitum. Unde et Sacerdotáles gradus, atque offícia Levitárum, Sacraméntis mýsticis institúta crevérunt: ut cum Pontífices summos regéndis pópulis præfecísses, ad eórum societátis et óperis adjuméntum, sequéntis órdinis viros et secúndæ dignitátis elígeres. Sic in

erémo per septuagínta virórum prudéntium mentes, Móysi spíritum propagásti; quibus ille adiutóribus usus, in pópulo innúmeras multitúdines fácile gubernávit. Sic et in Eleázarum et Ithamárum fílios Aaron patérnæ plenitúdinis abundántiam transfudísti; ut ad hóstias salutáres et frequentióris offícii Sacraménta, ministérium suffíceret Sacerdótum. Hac providéntia, Dómine, Apóstolis Fílii tui Doctóres fídei cómites addidísti, quibus illi orbem totum secúndis prædicatiónibus implevérunt. Quaprópter infirmitáti quoque nostræ, Dómine, quæsumus, hæc adjuménta largíre; qui quanto fragilióres sumus, tanto his plúribus indigémus. Da quæsumus, omnípotens Pater, in hos fámulos tuos Presbytérii dignitátem; ínnova in viscéribus eórum Spíritum sanctitátis; ut accéptum a te, Deus, secúndi mériti munus obtíneant, censurámque morum exémplo suæ conversatiónis insínuent. Sint próvidi cooperatóres órdinis nostri; elúceat in eis totíus forma justítiæ, ut bonam ratiónem dispensatiónis sibi créditæ redditúri, ætérnæ beatitúdinis prǽmia consequántur.

Quod sequitur, legat submissa voce, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit:

Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Pontifex sedet, accepta mitra, et reflectit orarium sive stolam ab humero sinistro cuiuslibet, capiens partem, quae retro pendet, et imponens super dexterum humerum, aptat eam ante pectus, in modum crucis, singulis dicens:

Accipe jugum Dómini; jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.

Postea, imponit cuilibet successive casulam usque ad scapulas, quam quilibet teneat super humeros complicatam, a parte anteriori deorsum dependentem, singulis dicens:

Accipe vestem Sacerdotálem, per quam cáritas intellígitur; potens est enim Deus, ut áugeat tibi caritátem, et opus perféctum.

℟. Deo grátias.

Surgit Pontifex sine mitra, et omnibus genua flectentibus, dicit:

Deus sanctificatiónum ómnium auctor, cujus vera consecrátio, plénaque benedíctio est, tu, Dómine, super hos fámulos tuos, quos ad Presbytérii honórem dedicámus, munus tuæ bene ✠ dictiónis infúnde: ut gravitáte áctuum, et censúra vivéndi probent se senióres, his institúti disciplínis, quas Tito et Timótheo Paulus expósuit; ut in lege tua die ac nocte meditántes, quod légerint, credant; quod credíderint, dóceant; quod docúerint, imiténtur; justítiam, constántiam, misericórdiam, fortitúdinem, ceterásque virtútes in se osténdant; exémplo præbeant; admonitióne confírment; ac purum et immaculátum ministérii sui donum custódiant; et in obséquium

plebis tuæ, panem et vinum in corpus et sánguinem Fílii tui immaculáta benedictióne transfórment; et inviolábili caritáte in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi, in die justi et ætérni judícii Dei, consciéntia pura, fide vera, Spíritu sancto pleni resúrgant. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tunc Pontifex, sine mitra, ante altare conversus, flexis genibus incipit alta voce, schola prosequente, Hymnum:

Veni, Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérna grátia,
Quæ tu creásti péctora.

Surgit Pontifex, et facit ut in fine Hymni habetur; interim schola prosequitur Hymnum: qui, si propter ordinandorum multitudinem necesse fuerit, repetatur, omisso primo versu.

Qui díceris Paráclitus,
Altíssimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et spiritális únctio.
Tu septifórmis múnere,
Dígitus patérnæ déxteræ,
Tu rite promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.

Accénde lumen sénsibus,
Infúnde amórem córdibus,
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Hostem repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus,
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.
Per te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Teque utriúsque, Spíritum,
Credámus omni témpore.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sæculórum sæcula. ℟. Amen.

Dicto primo versu, surgit Pontifex, et sedet in faldistorio cum mitra; et depositis chirothecis, et annulo Pontificali reassumpto, ponitur ei gremiale, sive mappula super gremium, et singuli ordinandi successive coram eo genua flectunt; et Pontifex cum oleo catechumenorum inungit unicuique ambas manus simul iunctas, in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero in dictum oleum intincto duas lineas, videlicet, a pollice dexterae manus usque ad indicem sinistrae, et a pollice sinistrae usque ad indicem dexterae, ungendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet inungit:

Consecráre et sanctificáre dignéris, Dómine, manus istas per istam unctiónem, et nostram bene ✠ dictiónem. ℟. Amen.

Pontifex producit manu dextera signum crucis super manus illius quem ordinat, et prosequitur:

Ut quæcúmque benedíxerint, benedicántur, et quæcúmque consecráverint, consecréntur, et sanctificéntur, in nómine Dómini nostri Jesu Christi.

Et quilibet ordinandus respondet:

Amen.

Tunc Pontifex claudit, seu iungit manus cuilibet successive, quas sic consecratas aliquis ministrorum Pontificis albo panniculo lineo simul, videlicet dexteram super sinistram, alligat; et mox unusquisque ad ordinem suum redit; et sic clausas et alligatas manus tenet. Omnium manibus unctis et consecratis, Pontifex pollicem mica panis tergit; tum tradit cuilibet successive Calicem cum vino et aqua, et Patenam superpositam cum Hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam Calicis et Patenam simul tangunt, [1] *Pontifice singulis dicente:*

Accipe potestátem offérre sacrifícium Deo, Missásque celebráre, tam pro vivis quam pro defúnctis, in nómine Dómini.

℟. Amen.

His peractis, Pontifex lavat manus cum medulla panis, et aqua lotionis huiusmodi proiicitur in sacrarium. Deinde cum mitra revertitur ad sedem suam, vel ad faldistorium in

---

[1] Si... datus esset Calix sine vino, Ordinatio esset repetenda ex integro sub conditione (S. O. 11 Ian. 1899). Item repetenda esset ex integro Ordinatio sub conditione, si data esset Patena sine hostia (S. O. 17 Ian. 1900).

cornu Epistolae, in plano sibi paratum, ubi sedet cum mitra. Et chorus cantat ultimum Versum Tractus, vel Sequentiae, sive Allelúja. *Interim accedunt duo Capellani ante Pontificem cum libro et candela, qui ex eo legit dictum ultimum Versum Tractus, vel Sequentiae, sive* Allelúja; *legit etiam secrete* Munda cor meum, *atque Evangelium.*

Interea unus ex Diaconis noviter ordinatis accedit ad altare cum textu Evangelii ante pectus, et dicit: Munda cor meum, *etc. Et cantat Evangelium. Interim parantur per ministros Hostiae super altare, pro numero ordinatorum in ordinibus sacris, qui omnes communicare debent, et proceditur in Missa ordine solito. Interea dum Offertorium cantatur, vel etiam prius, ordinati Sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis, et aqua bene mundare, atque extergere mappulis illis quibus ligatae erant, et aqua ablutionis huiusmodi proiiciatur in sacrarium.*

Pontifex vero, Offertorio lecto, accepta mitra, vadit ad faldistorium ante medium altaris, et ibi sedens, accipit Offertorium ab omnibus ordinatis, qui omnes accedunt bini et bini ad Pontificem, coram quo genuflexi offerunt illi singulas candelas accensas, et osculantur eius manum, primo Presbyteri, tum Diaconi successive, et alii suo ordine.

Accepto singulorum Offertorio, Pontifex lavat manus, et surgit sine mitra, ac tollitur faldistorium, et prosequitur Missam.

Presbyteri vero ordinati, post Pontificem, vel hinc et inde, ubi magis commodum erit, in terra genuflexi, habeat libros coram se, dicentes:

Súscipe, sancte Pater, *etc.; et omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex: qui tamen bene advertat, quod Secretas morose dicat, et aliquantulum alte, ita ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, et praesertim verba consecrationis, quae dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.*

Secreta pro ordinatis, quae dicitur cum Secreta Missae diei, sub uno Per Dóminum, *etc.:*

Tuis, quǽsumus, Dómine, operáre mystériis, ut hæc tibi múnera dignis méntibus offerámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Cum Pontifex dixerit Orationem, Dómine Jesu Christe, qui, *etc., osculatur altare, et dat primo ex singulis ordinatis cuiuslibet ordinis sacri ad eum successive accedenti, et altare prius ad dexteram Pontificis deosculanti, pacem, dicens:*

Pax tecum.

Cui ille respondet:

Et cum spíritu tuo.

Et quilibet illorum dat sequenti sui ordinis secum ordinato, et ille alteri, et sic usque ad ultimum continuatur. Si autem ordinatorum parvus sit numerus, Pontifex poterit dare pacem singulis.

Postquam vero Pontifex se communicaverit, et totum sanguinem sumpserit, priusquam digitos abluat, accedunt ante altare Presbyteri, deinde Diaconi, tandem Subdiaconi; quibus ordinate dispositis et genuflexis, Pontifex facta reverentia Sacramento, et aliquantulum versus cornu Evangelii se retrahens, ad eos se convertit, et singuli ex Diaconis et Subdiaconis tantum, dicunt submissa voce: **Confíteor, Deo,** *etc. Et si Officium fiat in cantu, unus de noviter ordinatis illud cantat.*

Et Pontifex stans capite detecto, versus, ad eos dicit intelligibili voce, nisi Officium fiat in cantu:

Misereátur vestri omnípotens Deus, et dimís-

sis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem et remissiónem peccatórum vestrórum tríbuat vobis omnípotens, et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Et manu dextera signum crucis super eos communiter producit. Presbyteri ante communionem non dicunt Confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici; propterea si non sunt alii ordinati, Confessio et Absolutio praedictae omittuntur. Tum accedunt ordinati ad supremum gradum altaris bini et bini. Pontifex vero ponit plures Hostias consecratas super Patenam, quam ori cuiuslibet communicandi supponit, et singulos communicat, cuilibet dicens:

Corpus Dómini nostri Jesu Christi custódiat te in vitam ætérnam.

Qui respondet:

℟. Amen.

Et priusquam communionem sumat, manum Pontificis Hostiam tenentem osculatur.

Unus ministrorum Pontificis stat iuxta cornu Epistolae altaris, Calicem habens, non illum cum quo Pontifex celebravit, sed alium cum vino, et mappulam mundam in manibus, ad quem singuli communicati accendunt, et se purificant, os extergunt, et ad partem se locant. Omnibus communicatis, Pontifex extergit patenam super calicem suum, super eum digitos abluit, sumit ablutionem, accipit mitram, et lavat manus.

Pontifex, lotis manibus, mitra deposita, stans in cornu Epistolae altaris, versus ad illud, inchoat in cantu, schola

prosequente, Responsorium, quod a Septuagesima usque ad Pascha dicitur sine Allelúja.

Jam non dicam vos servos, sed amícos meos: quia ómnia cognovístis quæ operátus sum in médio vestri, allelúja. * Accípite Spíritum sanctum in vobis Paráclytum: * Ille est, quem Pater mittet vobis, allelúja. ℣ Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. * Accípite. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. * Ille est, quem, *etc.*

Incepto Responsorio, Pontifex, accepta mitra, vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui ante altare coram ipso stantes profitentur fidem quam praedicaturi sunt, dicentes:

Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cæli et terræ: et in Jesum Christum, Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum: Qui concéptus est de Spíritu sancto, natus ex María Vírgine: passus sub Póntio Piláto, crucifíxus, mórtuus, et sepúltus: descéndit ad ínferos: tértia die resurréxit a mórtuis: ascéndit ad cælos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis: inde ventúrus est judicáre vivos et mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Quo finito, Pontifex cum mitra sedens super faldistorium, ante medium altaris, imponit ambas manus super capita singulorum coram eo genuflectentium, dicens cuilibet:

Accipe Spíritum sanctum, quorum remíseris

peccáta, remittúntur eis; et quorum retinúeris, reténta sunt.

Deinde explicans casulam, quam unusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicens:

Stola innocéntiæ índuat te Dóminus.

Et mox unusquisque iterum ad Pontificem accedit, et genuflexus ponit manus suas iunctas inter manus Pontificis dicentis cuilibet, si suus est Ordinarius:

Promíttis mihi et successóribus meis reveréntiam et obediéntiam?

Et ille respondet:

Promítto.

Si vero Pontifex non est suus Ordinarius, cum manus eorum inter suas tenet, ut praefertur, dicit singulis Presbyteris saecularibus:

Promíttis Pontífici Ordinário tuo, *etc.*

Singulis vero Regularibus:

Promíttis Prælato Ordinário, *etc.*

Promíttis Pontífici (*vel* Prælato) Ordinário tuo pro témpore exisiénti reveréntiam et obediéntiam?

Et ille respondet:

Promitto.

Tunc Pontifex, tenens manus illius inter suas, osculatur unumquemque, dicens:

Pax Dómini sit semper tecum.

Et ille respondet:

Amen.

His expletis, et eis ad ordinem suum reversis, Pontifex sedens cum mitra et baculo, admonet eos, dicens:

Quia res quam tractatúri estis, satis periculósa est, fílii dilectíssimi, móneo, vos ut diligénter totíus Missæ órdinem, atque Hóstiæ consecratiónem ac fractiónem, et communiónem, ab áliis iam doctis Sacerdótibus discátis, priúsquam ad celebrándum Missam accedátis.

Pontifex surgit cum mitra et baculo, et presbyteris coram eo adhuc genuflexis benedicit, dicens voce competenti:

Benedíctio Dei omnipoténtis, Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ sancti, descéndat super vos; ut sitis benedícti in órdine Sacerdotáli; et offerátis placábiles Hóstias pro peccátis atque offensiónibus pópuli omnipoténti Deo, cui est honor et glória, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Post haec, Pontifex, deposita mitra, et amoto faldistorio, convertitur ad altare, prosequitur Missam, et cantatur Communio; et dicitur haec Postcommunio pro ordinatis sub uno Qui vivis, *cum Postcommunione Missae diei:*

POSTCOMMUNIO

Quos tuis Dómine, réficis Sacraméntis, contínuis attólle benígnus auxíliis; ut tuæ redemptiónis efféctum, et mystériis capiámus et móribus: Qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde dicitur Benedicámus Dómino, *vel* Ite, Missa est, *prout tempus requirit, et per Pontíficem,* Placeat, *etc.*

Quo dicto, Pontifex, accepta mitra et baculo Pastorali, dat benedictionem solitam, dicens:

Sit nomen Dómini benedíctum, *etc.*

Tum sedet et alloquitur ordinatos sub his verbis:

Fílii dilectíssimi, diligénter consideráte Ordinem per vos suscéptum, ac onus húmeris vestris impósitum; studéte, sancte et religióse vívere, atque omnipoténti Deo placére, ut grátiam suam possítis acquírere: quam ipse vobis per suam misericórdiam concédere dignétur.

Sínguli ad primam Tonsúram vel ad quatuor minóres Ordines promóti, dícite semel septem Psalmos Pœnitentiáles, cum Litániis, Versículis et Oratiónibus. Ad Subdiaconátum, vel Diaconátum, Noctúrnum *talis* diéi. Ad Presbyterátum vero ordináti, post primam vestram Missam tres álias Missas, vidélicet unam de Spíritu

sancto, áliam de beáta María semper Vírgine, tértiam pro fidélibus defúnctis dícite, et omnipoténtem Deum étiam pro me oráte.

Quod illi devote suscipiunt, et respondent se facturos. Tum Pontifex convertit se ad altare, et dicit, submissa voce:

Dóminus vobíscum.
Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem.
In princípio, *etc.*

Signat altare et se, et revertitur ad sedem, vel ad faldistorium, ubi exuitur sacris vestibus. Ordinati etiam ad Presbyteratum dicunt idem Evangelium, et in loco convenienti sacras vestes deponunt, et cum eis alii ordinati.

INDEX ALPHABETICUS

Absolutiones, in recitatione Breviarii, 84.
Acolythorum, ordinationis ritus, 137.
Actiones nostras, Oratio, 26.
Actus fidei, spei etc., 18.
Agimus tibi gratias, Oratio, 27.
Agnus Dei, in Can. Missae, 104.
Alma Redemptoris Mater, Antiphona, 71.
Altarium Consecrationis form. brevis, 130.
Angele Dei, Oratio, 24.
Aperi, Domine, Oratio, 82.
Aquam benedictam ad faciendam, ordo, 121.
Ave, Maria, Salutatio angelica, 15.
Ave, Maris stella, Hymnus, 61.
Ave, Regina Caelorum, Antiphona, 72.

Baptismi ritus, 93.
Beati immaculati in via, Psalm. 118, 116.
Beatus vir, Psalm. 111, 41.
Benedicite, Canticum trium puerorum, 36.
Benedictio *domorum* in Sabbato Sancto, 123.
— *fructuum* novorum, 79.
— *imaginis s.*, 126.
— *loci* vel domus, 124.
— *mensae*, 122.
— *mulieris* post partum, 119.
— *(ad) omnia*, 127.
— *panis*, 78.

Benedictio communis super *personas*, 128.
— *thalami*, 125.
Benedictio Apostolica in articulo mortis, 111.
Benedictiones communiores, 120-129.
Benedictionis Divinae petitio, 31.
Benedictus Dominus, Canticum Zachariae, 38.
Benedixisti, Domine, Psalm. 84, 98.
Breviarum Romanum, Notitiae — eius divisio, 1-2.

Caeremoniae *ante Missam*, 100-101.
— *in Missa*, 102.
Caeremoniale Episcoporum, Notitiae, divisio, 10.
Caeremoniarum Missae privatae synopsis, 105.
Calicis consecrationis formula, 131.
Canon Missae, 104.
Caritatis actus, 18-*g*.
Christe Sanctorum, Hymnus, 68.
Clerico (de) faciendo ritus, 133.
Clericorum preces propriae etc., 12, 13 etc.
Coelestis urbs Ierusalem, Hymnus, 67.
Communionis sacrae *communis ritus*, 94.
— *pro infirmis*, *ritus*, 95.
Confirmationis Sacram. ritus, 108.
Confitebor tibi Domine, Psalm. 110, 40.
Confiteor Deo Omnipotenti, in Ord. Missae, 103.
Conscientiae examen, 28.
Consecrationis *Altarium* form. brevis, 130.
— *Calicis* et *patenae* form. brevis, 131.
Conserva me Domine, Psalm. 15, 133.
Contritionis actus, 18 *h*.
Cordis Iesu Ss.mi in honorem, Litaniae, 75.
Credidi, Psalm. 115, 46.
Credo in Deum etc., 16.
Credo in unum Deum etc., in Ord. Missae, 103.
Crucis S. Commemoratio, 89 *B*.

Cum invocarem, Psalm. 4, 51.
Custodes hominum, Hymnus, 69.

De profundis, Psalm. 129, 57.
Deus, Deus meus, Psalm. 62, 35.
Deus, in adiutorium, Psalm. 69, 55.
Deus tuorum militum, Hymnus, 64.
Diaconorum *ordinationis ritus,* 139.
— *preces propriae,* etc., 92-95.
Diurnum, Notitiae, divisio, 3.
Dixit Dominus, Psalm. 109, 39.
Domini est terra, Psalm. 23, 117.
Dominus regnavit, Psalm. 92, 33.
Domorum benedictio *communis,* 124.
— *in Sabbato Sancto,* 123.

Ecce nunc, Psalm. 133, 53.
Examen conscientiae, 28.
Exequiarum *adultorum* ordo, 114.
— *parvulorum* ordo, 115.
Exorcismi, ubi inveniantur, 80.
Exorcistarum ordinationis ritus, 136.
Extremae Unctionis ritus, 110.
Exultet Orbis gaudiis, Hymnus, 63.

Fidei actus, 18 e.
Fructuum novorum benedictionis ritus, 79.

Gloria in excelsis, in Ord. Missae, 103.
Gloria Patri etc., Doxologia, 83.
Gratiarum actio post Missam, 106.

Iaculatoriae et preces pro morientibus, 112-113.
Iam lucis orto sidere, Hymnus, 85.
Iesu, corona Virginum, Hymnus, 66.

Imaginis S., benedictionis ritus, 126.
Immaculatae B. M. V. in honorem Laus, 20.
Inclina, Domine, Psalm. 85, 99.
In exitu Israël de Aegypto, Psalm. 113, 43.
Invitatorium in Matutini recitatione, 83.
Ioseph S. in honorem, *Litaniae*, 77.
— in honorem, *Preces*, 22.
Iste Confessor, Hymnus, 65.
Iubilate Deo, Psalm. 99, 34.
Iudica me, Deus, Psalm. 42, in Ord. Missae, 103.

Kyrie, in Ord. Missae, 103.

Laetatus sum, Psalm. 121, 48.
Lauda Ierusalem, Psalm. 147, 50.
Laudate Dominum de Coelis, Psalm. 148, 37.
Laudate Dominum in Sanctis eius, Psalm. 150, 107.
Laudate Dominum omnes gentes, Psalm. 116, 45.
Laudate, pueri, Dominum, Psalm. 112, 42.
Lectorum ordinationis ritus, 135.
Libri liturgici, Notitiae, etc., 1-11.
Litaniae in honorem *SS. Cordis Iesu*, 75.
— in honorem *S. Ioseph*, 77.
— in honorem *B. Mariae V.*, 76.
Loci, seu **domus,** communis benedictio, 124.

Magnificat, Canticum B. M. V., 44.
Mariae B. V. in honorem, Litaniae, 76.
— in honorem, preces, 19-21.
Matrimonii Sacram, ritus, 118.
Memento Domine David, Psalm. 131, 47.
Memorare, piissima Virgo, Oratio, 19.
Mensae benedictionis ritus, 122.
Miserere, Psalm. 50, 56.
Missae pro Defunctis, 7 et 105 C-V.

Missae Votivae, 6 et 105 C-III.
— Caeremoniae ante celebrationem, 100-101.
— Caeremoniae in celebratione, 102-104.
Missae privatae Caeremon. Synopsis, 105.
Missale Romanum, Notitiae, divisio, 4-5.
Missam (ante), praeparatio, 96.
— (post), gratiarum actio, 106.
Missionibus (pro) Oratio, 25.
Morientibus adiuvandis, preces, 112-113.
Mortem bonam ad obtinendam, Oratio, 29.
Mulieris post partum benedictio, 119.
Munda cor meum, in Ord. Missae, 103.
Misteria Ss.mi Rosarii, 21.

Nisi Dominus, Psalm. 126, 49.
Nunc dimittis, Canticum Simeonis, 54.
Nunc Sancte nobis Spiritus, Hymnus, 86.

Officii Divini Ordo, 91.
Ordinatio, seu ritus Ordinationis, 132-140.
— Acolythorum, 137.
— Clericorum, 133.
— Diaconorum, 139.
— Exorcistarum, 136.
— Lectorum, 135.
— Ostiariorum, 134.
— Presbyterorum, 140.
— Subdiaconorum, 138.
Ordo ad faciendam *aquam benedictam,* 121.
— *Officii Divini,* 91.
— *Missae,* 103.
Ostiariorum ordinationis ritus, 134.

Pange, lingua, Hymnus, 59.
Panis benedictionis ritus, 78.

Patenae consecrationis ritus, 131.
Pater noster, Oratio dominica, 14.
Personarum communis benedictio, 128.
Petri et Pauli Ap. in honorem, preces, 23.
Poenitentiae Sacram. ritus, 109.
Pontificale Romanum, Notitiae, divisio, 11.
Praeparatio ad Missam, 96.
Preces communiores, 14-31.
Preces propriae pro Clericis, 12-13.
— — pro Diaconis, 92-95.
— — pro Presbyteris, 96-107.
— — pro Subdiaconis, 81-90.
— **(ad) Vestes Sacras**, 101.
Presbyterorum ordinationis ritus, 140.
— preces propriae, 96-107.
Proficiscere, Oratio, 113.
Psalmi communiores, 32-57.

Quam dilecta, Psalm. 83, 97.
Qui habitat, Psalm. 90, 52.

Rector, potens, verax Deus, Hymnus, 87.
Regina Coeli, Antiphona, 73.
Regulae circa Ordinem *Div. Officii*, 91.
— circa ritus mutabiles in *Missa*, 105-C.
Reliquiae Ss. dum osculandae porriguntur, 129.
Requie (de) Missae, 7 et 105 C-V.
Rerum, Deus, tenax, vigor, Hymnus, 88.
Rituale Romanum, Notitiae, divisio, 8-9.
Ritus Sacr. *Baptismi*, 93.
— Sacr. *Communionis*, 94.
— Sacr. *Comm. pro infirmis*, 95.
— Sacr. *Confirmationis*, 108.
— Sacr. *Estremae Unctionis*, 110.
— *Missae*, 102-104; et 105.

Ritus Sacrae *Ordinationis*, 132-140.
— Sacr. *Matrimonii*, 118.
— Sacr. *Poenitentiae*, 109.
Rosarium B. M. V. de modo recitandi, 21.

Sacrosanctae etc., Oratio post. Div. off., 90.
Salve, Regina, Antiphona, 74.
Sanctus, in Ord. Missae, 103.
Spei actus, 18 *f.*
Subdiaconi ordinationis ritus, 138.
— preces propriae etc., 81-91.
Suffragia in recitatione Div. off., 89.
Synopsis Caeremon. Missae privatae, 105.

Te Deum, Hymnus Ambros., 70.
Te Ioseph celebrent, Hymnus, 62.
Te lucis ante terminum, Hymnus, 30.
Thalami benedictionis ritus, 125.
Tota pulchra es, Maria, Laus, 20.

Veni, Creator Spiritus, Hymnus, 58.
Veni, Sancte Spiritus, Invocatio, 17.
Venite, exsultemus Domino, Psalm. 94, 83.
Vestes sacras (ad) preces, 101.
Vexilla Regis prodeunt, Hymnus, 60.
Viatici S. ministrandi ritus, 95.
Votivae Missae, 6 et 105 C-III.

ADDENDA AD VOLUMEN PRIMUM

Typis edito primo volumine huius Novi Manualis Ordinandorum, *nonnullae prodierunt ex Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos responsiones circa doctrinam canonicam in praedicto primo volumine a nobis iam expositam. Cum vero hae responsiones eandem doctrinam clarius explicent, imo aliquando etiam modificent, visum est heic ipsas referre ad clericorum instructionem.*

Ad Resp. ad *Quaes. 173 (p. 61-62):*

Nota - *Litteras dimissorias* concedere potest Provicarius Apostolicus intra annum a sede vacante. - Pont. Comm. ad Cod. can. auth. interpret. die 20 Iulii 1929.

Ad resp. ad *Quaes. 819 (p. 298):*

Nota - *Ieiunium in consecratione ecclesiae* de quo in can. 1166, § 2, moderandum est secundum communem legem ieiunii ecclesiastici. - Pont. Com. ad Cod. can. auth. interpret. die 20 Iulii 1929.

Ad Resp. ad *Quaes. 1176 (p. 452):*

Nota - *Ab acatholicis nati,* de quibus in canone 1099, § 2, dicendi sunt etiam nati ab alterutro parente acatholico, cautionibus quoque praestitis, ad normam canonum 1061 et 1071. - Pont. Comm. ad Cod. can. auth. interpret. die 20 Iulii 1929.

Contra id quod dictum est *in Nota 2 ad Quaesitum 1192 (pag. 462)* circa ius accusandi matrimonium, videtur recens Responsio Pontificiae Commissionis ad Cod. can. auth. interpret. die 12 mensis Martii 1929 data:

Ad dubium enim: « Utrum vox *impedimenti* canon. 1971, § 1, n. 1, intelligenda sit tantum de impedimentis proprie dictis (cann. 1067-1080), an etiam de impedimentis improprie dictis matrimonium dirimentibus (cann. 1081-1103) », responsum fuit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

250.2
P369
v.1.2
AUTHOR Peorari, Caesar

TITLE Novum Manuale Ordinandorum pro examinibus sacris ordination

250.2
P369
V.II

GRADUATE THEOLOGICAL UNION 1962

Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library